

Philipp Jakob Ammendorff Bernhard Sandyk


Dissertatio Theologica De Melchisedeco

Duisburgi ad Rhenum: Straube, 1756

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn824607759>

Druck Freier  Zugang






ca.


106


a. B.


48. b. 8.

Fa-1092 (10.)









21

2

14

13

CHRISTIANO BENEDICTO
MICHAELIS
IOANNES HENRICVS LEIDENFROST

DISSERTATIO
THEOLOGICA
DE
MELCHISEDECO.

QVAM
FAVENTE DEO

SVB PRÆSIDIO
VIRI CELEBERRIMI

PHILIPPI JACOBI
AMMENDORFF,

S. S. THEOL. DOCTORIS EIVSDEMQUE FACVLTATIS
PROFESSORIS ORDINARI

PVBLCO EXAMINI SVBJICIT


AVCTOR & RESPONDENS

BERNHARDVS SANDYK,

ARNHEMIA-GELRVVS S. S. THEOL. CVLT.

AD DIEM JANVARIII M DCC LVI.

H. L. Q. S.



DVIBVIRGI ad RHENVVM,

TYPIS JOAN. SEBAST. STRAVBE, ACAD. TYPOGR.

V I R O

CELEBERRIMO, CLARISSIMO & PLU-
RIMVM VENERANDO

D O M I N O

DN. PHILIPPO JACOBO
AMMENDORFF,

S. S. THEOL. DOCTORI

EJVSDEMQVE FACVLTATIS

IN ILLVSTRI

DVISBURGENSI ACADEMIA

PROFESSORI PVBLICO ORDINARIO

PRÆSIDI, PRÆCEPTORI, FAVTORI

SVO AD VLTIMVM VITÆ HALITVM

PERPETVO OBSEQVIO AC AMORE

COLENDO

V I R O

VIGILANTISSIMO PRVDENTISSIMO

D O M I N O

DN. ADOLPHO SANDYK,

PARENTI SVO CHARISSIMO DILECTISSIMO,

OMNI FILIALI AMORE

ET

PIETATE AD CINERES VSQVE VENERANDO.

VIRIS
HONESTISSIMIS atque HONORATISSIMIS
DOMINO
DN. ARNOLDO HANZEN,
DOMINO
DN. GEISBERTO HANZEN,
AVVNCVLIS SVIS
DOMINO
DN. JOHANNI HINSSEN,
PER AFFINITATEM PATRVO SVO
HONORANDIS DILIGENDIS
*SVMMO OBEDIENTIÆ ET REVERENTIÆ
CVLTV*
AD ROGVM VSQVE PROSEQVENDIS

Has studiorum suorum primitias

D. D. D.

AVCTOR.

21.



DISSERTATIO
THEOLOGICA
DE
MELCHISEDECO.



§. I.

Specimen quoddam academicorum meorum studiorum editurus, Melchisedecum dissertationis argumentum esse volui. Quamvis novum non sit, nemo tamen ægre hoc ferre poterit, qui secum perpenderit omnia, quæ de hac materia dici possunt, nondum satis esse evoluta. Libenter fatemur, hoc argumentum exercuisse industriam doctorum celeberrimorum gentis Judaicæ: differuerunt enim de eo *R. Salomo, AbenEsra, R. Salomo Farchi, R. Jonathan Hierosolymitanus, R. Moses Gerundensis, & alii.* Ne-

A 3

gle-

14.

11.

12.

glectum quoque non est a patribus, qui floruerunt ante salutaris reformationis tempora: Constat, quod passim illud tetigerint *Irenæus Lugdunensis*, *Theodotus Argentarius*, *Origenes*, *Hippolitus Portuensis*, *Epiphanius*, *Cbryostomus*, *Eustatius Episcopus Antiochenus*, *Didymus Alexandrinus*, *Eusebeus Cesariensis*, *Eusebius Emiffenus*, *Apollinaris Laodicensis*, *Hieronymus Stridonensis*, *Hierax Ægyptius*, *Augustinus*, *Theodoretus*, *Cyrillus Alexandrinus*, *Suidas*, *Theophylactus Archiepiscopus*, *Georgius Cedrenus*, *Michael Glycas*, *Balduinus Cantuariensis*, *Ambrosius*, cum aliis. Post sacrorum auspiciatissimam emendationem certatim illud aggressi sunt Theologi, quorum nomina eruditis sunt admirationi. Dissuerunt enim de Melchisedeco *Hugo Broughtbonus* Anglus, *David Pareus*, *Petrus Molinæus*, *Andreas Rivetus*, *Henricus Heideggerus*, *Petavius*, *Jacobus Gailard*, *Samuel Maresius*, *Gerbardus Gesnerus*, *Waltherus*, *Momma*, *Otto Ursinus*, *Cunnæus*, *Braunius*, *Melchior Leidekkerus*, *Ludovicus Borgefius*, *Sal. Deylingius*, *Michael*, *Thomas Crenius*, *Joan. Hermannus ab Elsmig*, *Franciscus Fabricius*, *Joan. Henr. à Seelen*, *Joan. Wallifius*, *Joan. Albert. Fabricius*, *Christophorus Schlegel*, *Clericus*, *Franciscus Burmannus*, *Henr. Hulfius*, *Budæus*, *Joan. d'Outrein*, *Calmet*, *Marckius*, *Honertius*, *Wolffius*, quibus multa alia adderemus nomina, si animus esset, historiam litterariam Scriptorum de Melchisedeco pertextere. Non obstante autem hac auctorum celeberrimorum copia, tamen quæstio de Melchisedeco decisa nondum est, relictum enim ditissimum est posteris spicilegium. Ut vero in hac nostra opella justo ordine procedamus, operam dabimus, ut remotis erroneis, ut existimamus, opinionibus, veram solidis sententiam adstruamus argumentis, quo facto utilitatem hujus argumenti commendabimus.

§. II.

Non unam de Melchisedeco esse virorum doctorum sententiam norunt omnes, quindecim enim de eo numerantur. Vix fieri potuit, ut idem sentirent omnes de viro hoc spe.



ſpectatiſſimo, præſertim quia ætas ejus incidit in tempus *αἰθλον*, de quo perpauca ad noſtram pervenerunt memoriam, quæque talia ſunt, ut ampliſſimam conjectandi ſuppeditent materiem: nam nulli ſcriptores, ſi a Moſe receſſerimus, qui ſolummode compendioſe ſcripſit, reſtant, qui de rebus geſtis Patriarcharum aliquid memoriæ prodiderunt. Quod autem ad tempus, quo Melchifedecus nobis videtur floruiſſe, attinet, procul omni dubio eſt illud, quo Abrahamus vitam degit, uti clariffime liquet ex occurſu Abrahami Gen. XIV. 18. ū. ſeqq. memorato. Abrahamum autem in vivis fuiſſe inter ſeculum vigefimum primum & vigefimum ſecundum poſt creationem, eſt notiſſimum Conf. *Calmet. Lib. 1. de antiquitate V. T. in Chronologia p. 5. & 7. & Budæum in hiſt. eccleſ. V. T. p. 203. & 244.* Exotici Scriptores, qui ex Moſaicis fontibus multa hoc temporis intervalum concernentia hauferunt, Melchifedecum ignorafſe videntur, quia nullam in ſuis monumentis de eo fecerunt mentionem, & quomodo potuiſſent multa referre, cum perpauca de eo tradat ſacra Scriptura, in qua tantummodo ter ejus fit mentio ſcil. *Gen. XIV. Pf. CX. & in Epiftola ad Hebræos Cap. VII.*

§. III.

Sat commode autem doctorum virorum ſententiæ ad duas claſſes revocari poſſunt; prima eſt eorum, qui volunt, Melchifedecum hunc hominibus ſuperiorem fuiſſe, & e numero mortalium eximunt, eum referentes vel inter perſonas divinas, vel inter angelos, vel dicunt eſſe virtutem Dei, Chriſto, ipſo Dei filio potentiorem, auguſtiorẽ & feliciorem, vel ſimpliciter ſentiunt, eum eſſe majorem Chriſto, quia Chriſtus ſit ſacerdos ſecundum ordinem Melchifedeci. *Secunda claſſis* complectitur illos, qui quidem eum hominem fuiſſe habent pro explorato, ſed inter ſe diſſentiunt, an fuerit homo cæleſtis, vel an ad mortalium genus ab Adamo ſatum ſit referendus: an fuerit propheta extra ordinem hac occaſione a Deo miſſus, vel an alius quiſpiam illo tempore

21.

2

1

1

14.

1

11.


12.

pore satis notus? An non Semus, Chamus, Japhetus, Henochus, Jobus aut Ethnicus fit hic Melchisedecus, vel an rex aliquis singularis urbis Salem, Abrahami *συνχρονος* illo tempore clarissimus, & vicinis ut sacerdos altissimi satis notus, fit vir ille conspicuus, de quo agimus.

§. IV.

Ad primam classem referimus I. illos, qui personam divinam fuisse pronunciare non dubitant. Hi rursus sunt duplicis generis: 1) sunt, qui statuunt eum fuisse ipsum Dei filium, quam sententiam exornandam sibi sumserunt *Ambrosius* Lib. I. de Abrahamo c. 3. *Petrus Molinæus* in libro, cui titulum fecit, *vates* sive de præcognitione futurorum & bonis malisque prophetis Lib. IV. cap. 11. & seqq. *Petrus Cunnæus* de re publica Hebræorum Lib. III. c. 3. *Jacobus Gailardus* in libro *Melchisedecus Christus unus, rex Justitiæ, rex pacis*. Et *Altingius*, *T. H. Honertius* & alii plures. Facile fieri potuit, ut Viri Clarissimi & sinceræ pietatis studiosi hic de Messia cogitarent, singularia enim de ipso refert *Paulus Hebr. VII.* fuisse *ἀπάγορα, ἀμήγορα, ἀγενεαλόγητος*, quæ humanam si obiter spectantur, sortem excedere videntur. Confirmarunt etiam conjecturam iteratæ aliquoties filii Dei, humano corpore vestiti, apparationes uti *Gen. XVIII. XXXII.* & in pluribus aliis locis. Cumulum quoque pius & non culpandus Christum ubivis inveniendi Zelus addidit. 2) Deserunt hanc sententiam alii, qui malunt, eum fuisse spiritum sanctum, uti *Hieracitæ* sic dicti ab *Hierace*, de quo consulendus est *Epiphanius hæresi LV.* & hæresi LXVII. & *Anonymus*, cujus scripta leguntur in appendice Part. III. novæ Editionis librorum *Augustini* pag. 106. 107. 108. *Cyrillus* lib. II. *glaphyr.* in *Genesin.* Officii vero nostri ratio postulat, ut argumenta singula sub examen, addita nostra *ἐπίκρισι* vocemus.

§. V.



§. V.

Quod igitur attinet ad primam sententiam, est illorum qui dicunt, Melchisedecum fuisse filium Dei. Exornandam hanc maxime sibi sumpsit, nitidissimaque ac eleganti oratione proposuit, *Petrus Cuneus* in notissimo & utilissimo de *republica Hebræorum* libro. Virum hunc doctissimum causam dicentem præprimis audiemus, & cum ipso in arenam descendemus. Statuit ergo, Melchisedecum non hominem ex hominibus genitum sed diviniore naturæ fuisse, majoremque homine ac digniorem certe, qui tanto benedixit Patriarchæ. Sed hoc argumentum, ut fateamur quod res est, leve atque infirmum est admodum. Sæpissime sacrorum præfecti & antistites benedictionem impertiuntur viris se dignioribus & majoribus ut regibus & principibus. Excellentiorem fuisse summum sacerdotem omnibus Israëlitis, tradunt hebræorum magistri, parem etiam dignitatem ejus faciunt fastigio regio, interim totam populi Israëliti concionem digniorem, excellentiorem & eminentiorem faciunt. Toti tamen populo bene est precatus. Ergo ex benedictione illa non sequitur, Melchisedecum esse diviniore naturæ, majoremque homine ac ipso digniorem. Novum argumentum pro sua sententia eruere conatur ex nominibus. מלכי-צדק & מלך שלום, quæ putat fuisse nomina appellativa non propria, colligit hoc ex *Hebr. VII. 2.* πρώτον μὲν ἐρμηνευόμενος βασιλεὺς δικαιοσύνης, ἔπειτα δὲ καὶ βασιλεὺς Σαλήμ ὁ ἔστι βασιλεὺς εἰρήνης. *Primum quidem ex interpretatione dicitur rex justitiæ, deinde vero etiam rex Salem, quod est rex pacis.* Hinc concludit, quia Paulus illa nomina interpretatus fuit, ideo sunt appellativa. Quia vero καὶ ἕξοχην rex justitiæ & rex pacis est filius Dei benedictus in secula, pro no fluere videtur alveo, Melchisedecum & filium Dei unam & eandem esse personam. Sed vix credimus, virum acutissimum regularum hermeneutices minime ignarum, huic ratiocinio magnum pretium statuere potuisse. Paulus quidem

B

dicit

21.


2

14.

11.

12.

dicit מלכי-צדק interpretatum denotare βασιλέα δικαιοσύνης & מלך שלם βασιλέα εἰρήνης, sed minime vult illa hoc modo, id est pro appellativis esse sumenda, sed pro nominibus propriis, patet hoc ex 1. & seqq. versiculis, ubi eum non nominat regem justitiæ & pacis, sed simpliciter Melchisedecum regem Salemi. Præterea Melchisedeci nomen esse nomen proprium patet, quia Moysen historicum exactissimum decuit, nomen viri Abrahamo, obviam euntis, & multis eximiis rebus illustris, proprium exprimere. Historica narratio hoc non tantum requirit in genere, sed etiam scribendi generi Mosaico est consentaneum. De regibus & aliis personis verba faciens, propriis illos nominibus designat, hinc nomina *Abimelech*, *Pharao*, *Escol*, *Aner*, *Ephron*, aliaque passim leguntur, & quod agmen ducit, in relatione belli in valle Sittim gesti recenset propria belligerantium regum nomina *Amraphelis*, *Ariochi*, *Kedorlaomeri*, *Tbidealis*, *Beræ Belæ*, *Sineabi*, *Bissæ*, *Semeveri*, tandem *Ψ. 18.* sequitur Melchisedeci clarum nomen. An quis potest, hæc qui ad animum revocaverit, sibi cum ratione persuadere, hoc nomen esse appellativum? Accedit מלך esse quoque nomen proprium urbis sive metropolis regni ejus, quemadmodum clarissime patet ex *Pf. LXXVI. 3.* ubi hæc leguntur: *cujus tugurium est Schalemi & habitaculum Zionæ.* Vocata deinceps est *Jebo* & tandem *Hierosolyma* *Conf. Wilb. Momma de Oeconomis Cap. VII. §. 59. Calmet. in antiquit N. T. Lib. II. Orat. 30. & plures alii.* Non sumus nescii esse ex viris doctis, qui putant fuisse illam urbem, de qua mentio fit *Job. III. 23.* ubi extat ἐγγὺς τῆ σαλειμ prope *Salim*. Sed ibi loquitur Joannes de urbe *Σαλειμ* *Salim* & Paulus de *Σαλημ* *Salem*. *Σαλειμ* vero observante *Clar. Relando* in *Palæst. p. 976.* terminationem habet pluralis numeri, & alio in loco erat sita, quam regia Melchisedeci. Quia vero nostro scopo hoc non inservit suo loco illud relinquimus. Videatur de hac ultima opinione *Job. Clericus* in *Comment. in Pentateuchum ad Gen. XIV. & Wolff. in Cur. Crit. ad loc. Joh.*



Joh. cit. Certum interim est fuisse nomen proprium urbis: nam si Υ . 17. & 21. קֶדֶשׁ pro nomine proprio urbis est habendum, quid ni etiam שָׁלוֹם . Præterea Paulus sumsit pro nomine proprio ad Hebr. VII. 1. ubi מֶלֶךְ שָׁלוֹם explicat per *βασιλεία σαλήμ*. Concedamus vero parumper illa nomina esse appellativa, & indicare Messiam qua regem justitiæ & pacis, tum enixe rogamus, ut nobis allegentur loca Scripturæ probantia, filium Dei ante incarnationem, passionem & glorificationem, qua mediatorem appellatum fuisse regem justitiæ & pacis, respectu nempe officii mediatorii, quod fieri nunquam poterit. Nam tota scriptura docet, Christum qua mediatorem considerandum esse ut regem justitiæ & pacis, post gloriosam evectionem ad dextram patris, morte enim expiatoria sibi primo justitiam acquisivit, quemadmodum ex resurrectione ex mortuis liquet, & hæc ipsa mors causa fuit reconciliationis & pacis Deum inter & hominem. Ergo, postquam hæc omnia peracta erant, poterat demum vocari rex justitiæ & pacis. Observavit hoc Cel. *Akersloot* in explic. *Epist. ad Hebr.* ad hunc locum.

§. VI.

Secundum argumentum desumit ex Pf. CX. 4. quem sic reddit: *Tu es sacerdos in æternum, sicut Melchisedecus*, recitans explicationem *AbenEsræ*, qui $\text{עַל-מְנַהֵג עַל-דְּבָרָתִי}$ per ב præfixum עַל esse legendum & hinc explicat *in morem* vel *quemadmodum*; nos vero potius amplectimur interpretationem LXX. interpretum, qui interpretati sunt verba per κατὰ τὴν τάξιν secundum ordinem, quia Paulus hanc interpretationem probat *Hebr. VII. 17. 21.* ubi extat κατὰ τὴν τάξιν & Υ . 15. $\text{κατὰ τὴν ὁμοιότητα}$ *secundum similitudinem*. Versio hæc convenientior est genio linguæ; nam primaria notio דְּבָרָה radicis vocis כָּבַר quæ hic extat, observante ALB. SCHULTENS in Tom. II. Orig. Hebr.

Hebr. Cap. III. §. 26. est *struere, longa serie neclere*. Sic ergo ex origine notionum vertemus: *Tu es sacerdos* (aliter *appropinquator*, quia קרב appropinquandi notione gaudet, & sacerdotum est per sacrificia ad Deum appropinquare vid. eundem §. 30. lib. II. Orig. (*in Seculum*) cujus terminus obfignatur, nam primaria notio סגל est *signare, consignare, obfignare* vid. eund. Sect. 10. Part. II. Vind. Orig.) *Secundum rationem vel ordinem* (longa serie deductum i. e. quatenus hic erat homo & ille Θεωπρωτος) *Melchisedeci*. Hinc liquet æternitatem non Melchisedeco sed Christo solo tribui, & ideo non ambobus uti *Cuneus* vult. Totus igitur versus est vertendus, *Tu es sacerdos in seculum* non quemadmodum aut sicut Melchisedecus, fuit sacerdos in seculum, quod vult Clar. Cuneus, *sed secundum rationem sive ordinem Melchisedeci*: quam versionem etiam accentuationis ratio confirmat. Duo nempe divinus psaltes spiritu prophetico actus, de sacerdotio Messiae prædicit, ejus nempe durationem, & huc pertinet æternitas, & ordinis sacerdotalis rationem, & propter hunc ordinem, ne haberetur pro sacerdote ex ordine Aharonis, allegatur Melchisedecus. Excipit Vir Clariss. Paulum recitasse hoc vaticinium, ne fides deesset veritati assertionis suæ, asseruisse nempe & demonstrasse æternitatem sacerdotii Christi & Melchisedeci eam ob rem excellentioris & majoris sacerdotio Aaronis: ad quod respondemus nos negare, Paulum in hac sua Epistola demonstrare æternitatem sacerdotii Melchisedeci, eam ob causam majoris sacerdotio Aaronis. Paulus quidem demonstrat & differit de sacerdotio Christi, quod sit sacerdos in perpetuum secundum ordinem Melchisedeci, hoc autem non affirmat de sacerdotio Melchisedeci. Si enim hic per Christum & Melchisedecum una eademque persona intelligenda veniret, inconcinna foret hæc phraseos resolutio, tu es sacerdos secundum tuum ipsius ordinem. De Melchisedeco asserit, illius sacerdotium esse majus sacerdotio Aaronis, aut quia nemo in locum ejus successit, aut quia Levi in Abrahamo ei decimas dedit, sed non quia

quia est æternum, uti in seqq. videbimus. Addit porro Abrahamum statim filium Dei, qui specie humana, habitu sacerdotis regisque indutus, ei apparuerit, ut Messiam summum regem sacerdotemque cognovisse, eum mortalibus olim datum iri intellexisse & decimas obtulisse. Sed supponit Vir Clarissimus, quod est in quæstione, & quod probatum non dedit a) filium Dei jam fuisse sacerdotem ante suam incarnationem & antequam ἐξ ἀνθρώπων sumi posset, quod ad sacerdotem pertinet *Hebr. V. 1.* β) Sub habitu & ornatu sacerdotibus proprio obviam processisse Abrahamo, cujus rei nec vola nec vestigium conspicitur, & quis affirmaverit jam illo tempore peculiari vestitu sacerdotes distinctos fuisse. γ) Ante consummationem suam jam in mundo inter populum suum se gessisse pro rege justitiæ & pro rege pacis, cum tamen jus regnandi plenarium demum sit consecutus post exaltationem & postquam est factus pax nostra. δ) Abrahamum statim ipsum pro Messia agnovisse, qui tamen honorem ipsi divinum non defert, non preces, non adorationem, sed munera sacerdotibus gregariis debita, decimas nempe offert, & ne quidem ex bonis suis omnibus, sed tantum ex spoliis hostium devictorum, loquitur cum ipso etiam non alio modo quam cum rege Sodomæ. Pergit deinceps Vir consultissimus, & ἀφομοιωμένος τῷ υἱῷ τοῦ Θεοῦ, *assimilatus filio Dei*, explicat, filium Dei, cum in via Abrahamo occurreret eum vultum eumque habitum corporis sibi finxisse, quem postea gesserit in terris, & eam ob causam sic appellari. Mirum sane est, tam inexpectatam explicationem studium hypotheseos extorquere potuisse. Si filius Dei eo modo Abrahamo apparuit, & si ἀφομοιωμένος τῷ υἱῷ τοῦ Θεοῦ ita est intelligendum, tum filius Dei esset similis filio Dei, & sic idem esset similis eidem, quod contrarium est naturæ similitum, & quædam dicerentur similia inter se, quamvis nulla esset reciprocatio ad eandem rem. Præterea vulgatus Canon, simile non est idem, suam amitteret veritatem

21.

14.

11.

12.

tatem. Observandum porro est, Apostolum similitudinem non ponere in vultu & habitu ejus, sed in eo, quod non habuerit initium & finem dierum.

§. VII.

Novum argumentum ex eo petit, quia dicitur Melchisedecus fuit ἀπάτωρ καὶ ἀμήτωρ, quod sic explicat, eum non communi lege ex patre & matre, neque ex libidine aut conjunctione viri fœminæque fatum, sed æternum eum esse, atque etiam ejus sacerdotium, uti colligit ex μήτε ἀρχὴν ἡμερῶν μήτε ζωῆς τέλος ἔχων μὲν ἱερεὺς εἰς τὸ διηνεκές, neque initium dierum neque vitæ finem habens, manet sacerdos jugiter. Satisfecerunt huic argumento Philologi peritissimi, observantes, Paulum eum nominasse ἀπάτωρα καὶ ἀμήτωρα aut quia Moses nec patrem nec matrem ejus commemoravit, aut quia illius Genealogia non deducitur ex filiis Levi, non vero uti V. C. vult, quemadmodum observat Cel. Wolfius in curis criticis ad hunc locum. Quod porro attinet ad μήτε ἀρχὴν ἡμερῶν μήτε ζωῆς τέλος ἔχων μὲν ἱερεὺς εἰς τὸ διηνεκές. Illud non est explicandum secundum Viri Cel. mentem de æternitate sacerdotii illius, sed quia nativitatis & mortis ejus non extat mentio in sacris litteris, hinc dicitur non habuisse initium dierum neque finem vitæ. Neque obstat, quod dicitur μὲν ἱερεὺς εἰς τὸ διηνεκές, manet sacerdos in perpetuum, quod explicandum per omnem vitam, aut quia nec mortis nec successoris ejus in sacro codice fit mentio. Urget in seqq. verba καὶ ὃ δὲ μὲν δεκάσας ἀποθνήσκουσιν ἄνθρωποι λαμβάνουσι ἐκεῖ δὲ μαρτυρέμενος ὅτι ζῆν, atque hic quidem homines qui moriuntur, decimas accipiunt, illic autem is, de quo testatum est, quod vivit. Doctiss. Akersloot existimat, Paulum hic respexisse ad quandam traditionem Judæorum veterum, qui testati fuere Melchisedecum vivere & in cælum sublatus fuisse. Conf. ejus Comment. Epist. ad Hebr. ad hunc locum. Sed sententia hæc talis

lis est, ut refutatione vix sit digna, altum apud Mosen gloriosissimi hujus eventus est silentium, & Paulus illum non neglexisset, commoda hac occasione illum adducere. Totus in eo est, ut comparationem instituat Christum inter & Melchisedecum. Urgere illam egregie potuisset, ex gloriosa utriusque ad superos adscensione. Clarissimum est Apostolum digitum intendere in sacerdotes Leviticos, qui mortales erant, & in quorum denatorum locum sufficiebantur alii. Comparationis igitur ratio, quam *Erasmus*, *Limborchius*, *Hammondus*, *Peircius* in paraphrasibus suis optime expresserunt, hæc est: *juxta legem Mosis homines mortales, qui morte sua aliis locum relinquunt, jus habent decimas accipiendi a fratribus & consanguineis, hic vero Melchisedecus, de cuius tantum vita, quæ testimonium habet, non de morte, novimus, ab ipso Abrahamo decimas accepit, & per Abrahamum ipse Levi est decimatus.* Conf. *Wolff. in loc. supra cit. & Job. Marckium in Exerc. textual. 44.*

§. VIII.

Argumentis a Clarissimo Cunæo allatis Cel. LAMPIVS addidit duo alia: alterum desumit ex honore divino, quem Abrahamus exhibuisset Melchisedeco, alterum ex impossibilitate circumstantias hujus occurfus nudo homini attribuendi. Sed quod pace magni & non sine honoris præfamine nominandi Viri, dictum volumus, neque honorem divinum neque impossibilitatem quam vult, videmus. Abrahamus audiens & videns, illum esse Dei altissimi sacerdotem, illi reverentiam & honorem, sacerdoti competentem, præstitit, non vero divinum, qualem *Gen. XVIII.* filio Dei comitato duobus sociis exhibuit, qui illi apparuit ad quercum Mamræ, quem statim agnovit pro filio Dei. Quod vero attinet ad circumstantias hujus occurfus, quare illæ non possent attribui nudo homini? nihil divinitatis in illis videmus, an in eo fortasse consisteret divinitas, quia Melchisedecus quasi ex abrupto introducitur, panem & vinum proferens ad
refi-

reficiendum Abrahamum & exercitum pro more veterum, nam illi exercitum victricem semper cibo refecerunt, quod vero esset absurdum. An in benedictione sacerdotali? quod quoque absolum & contrarium dicto Pauli est, nam sacerdotum est benedicere, sacerdotes autem sunt ex *ἀνθρώπων* *Hebr. V. 1.* Concludimus igitur, nec honorem nec circumstantias aliquid divinius indicare. Videatur interim Cel. LAMPE in Fced. Grat. Part. II. Cap. 13. §. 6. Ex his omnibus sequitur per se Melchisedecum non esse neque esse posse filium DEI.

§. IX.

Pergimus ad secundam sententiam, quæ est eorum, qui volunt, Melchisedecum fuisse spiritum sanctum, quam Patroni sequentibus probare conantur argumentis. *Primo* dicunt, quod Abrahamus, vir justus, comparatus cum Melchisedeco illi minor sit, hinc colligunt illius naturam differentem fuisse a natura Abrahami, & majorem natura hominis esse. Infirmi hujus argumenti vires residuas facile prosternimus: nam propositiones hæ minime procedunt & maximis indigent limitationibus. Antecedens, qui major est altero differentis est naturæ, non procedit, rex major suis subditis, est interim ejusdem cum ipsis naturæ. Quatenus Melchisedecus consideratur, ut sacerdos & rex, major erat Abrahamo non autem qua homo. 2.) Ad propositionem consequentem animadvertimus, illam minus bene deductam esse ex antecedente, nam in illa comparatio instituitur Abrahamum inter & Melchisedecum, quis sit vel major vel minor, & in consequente propositione de natura Abrahami & Melchisedeci fit sermo. Nullus datur inter has propositiones nexus. Sed demus legitime deductam esse consequentiam Melchisedeci naturam excellentiorem esse Abrahami, quomodo hinc sequitur, quod tamen patroni hujus sententiæ volunt, ergo fuit spiritus sanctus. Et angeli excellentioris sunt naturæ quam homines. Negamus præterea propositionem consequentem, nam S. Scriptura non præponit

ponit naturam Melchisedeci naturæ Abrahami, nam altera est similis alteri, quatenus ambo fuerunt homines, sed multa in laudem Melchisedeci qua sacerdotis & regis enarrat, si enim Melchisedecus fuit homo, uti in seqq. videbimus, ejus natura non est major natura cæterorum mortalium. 2) Patrocinium quærent Hebr. VII. 7. *Id quod minus est ab eo quod majus est, benedicitur*, hinc iterum efficiunt: E. Melchisedeci natura præcedit naturam Abrahami, & idcirco major natura hominis. Valet hic eadem responsio, quam modo dedimus. Libenter concedimus, Abrahamum respectu benedictionis sacerdotalis Melchisedecum se superiorem agnovisse, sed sequelam majoris simpliciter rejicimus: nam nullus nexus datur inter benedictionem majoris & melchisedeci naturam, & si vel maxime admitteretur, tamen non sic ad spiritum sanctum ascendere liceret. 3) Afferunt argumentum, Melchisedecus *nec initium nec finem nec patrem nec matrem nec genealogiam habet*, non natus neque mortuus est E. est Deus. Non est filius Dei, huic enim est assimilatus, ergo est spiritus sanctus, hic enim est auctor omnis benedictionis. Non diu hoc nos detinebit argumentum, quod supra jam enervavimus, ostendentes quo sensu Melchisedecus a Paulo ἀπαισως &c. fit denominatus. Pro deitate Melchisedeci hic nullum invenitur fulcrum, cadit igitur simul, quod pro spiritu sancto hinc deducitur. 4) Hanc sententiam ex eo defendunt, quod Melchisedecus sit secundum apostolum *filio Dei similis, & maneat æternus sacerdos*, fieri hoc minus posse addunt, nisi esset ejusdem naturæ ac filius Dei, filium Dei esse primum sacerdotem æternum, Melchisedecum secundum, Melchisedecum igitur alium esse non posse quam spiritum sanctum. Proponamus miram hanc ratiocinandi methodum in forma Syllogistica: Quicumque est secundum Apostolum Dei filio similis & manet perpetuus sacerdos, debet esse ejusdem naturæ ac filius Dei, atqui Melchisedecus est secundum Apostolum Dei filio similis & manet perpetuus sacerdos Ergo &c. &c. Eiusdem commatis hoc ratiocinium

est cum prioribus & non parum impingit contra logicorum præcepta. Omnis comparatio rerum instituitur propter aliquod tertium, ultra quod comparatio non est extendenda. Quis enim admitteret propositionem, quæ in uno tertio conveniunt, sibi per omnia sunt similia. Componitur Melchisedecus cum Christo propter dignitatem, qua erat ornatus, sacerdotalem, & hæc ipsa tertium est comparationis, non autem naturæ æternitas, quæ ne quidem de Melchisedeco prædicatur, sed de Christo quod ex Hebr. VII. 8. patet, & supra a nobis est observatum. Paulus enim Melchisedecum non nominat æternum sacerdotem, sed sacerdotem in perpetuum, id est per omnem vitam ejus, aut quod nec matris nec successoris ejus in sacris litteris ulla mentio fit. Concedere porro nullo modo possumus, spiritum sanctum regnum aut sacerdotium unquam inter homines gessisse, decimas vel munera accepisse, & Patriarchis humano corpore vestitum unquam apparuisse. Probare tamen sacerdotium spiritus sancti volunt ex Rom. VIII. 26. ubi dicitur, *ipse spiritus intercedit pro nobis suspiriis inenarrabilibus*. Sed propter solam intercessionem non est sacerdos dicendus, nam hoc in negotio se non gerit pro sacerdote, sed pro paracletico, primaria sacerdotis functio est oblatio sacrificii & sanguinis effusio. Ex dictis concludimus spiritum sanctum non esse Melchisedecum. De his argumentis fusius disserit Calmet in antiquitate V. T. L. II. differt. 30.

§. X.

Succedit sententia *tertia*, qua statuitur Melchisedecum fuisse angelum quendam creatum, qui Abrahamo forma hominis ad tempus assumpta apparuerit. Adoptarunt hanc sententiam ex patribus ORIGENES & DIDYMVS ALEXANDRINVS, mentionem ejus facit quoque divus AVGVSTINVS Lib. I. *quest. super Genesin quest. LXXII.* ubi inter alia dicit: *Melchisedeci enim tanta fuit excellentia, ut a nonnullis dubitetur, utrum homo an angelus fuerit.* Refutavit illam jam suo tempore Epi-
phanius

phanus hæresi LV. & merito refellitur: nam Melchisedecus fuit rex Salemi, quod de angelis dici nequit, fuit sacerdos Dei altissimi juxta singularem ordinem, quis autem functiones sacerdotales expectaverit ab angelis, qui cum ex hominibus non sint, neque sacerdotes esse possunt. Hebr. V. 1. Confertur cum filio Dei, nunquam vero angeli, & quid angeli cum decimis fecissent, qui rebus corporalibus non indigent.

§. XI.

Quarta sententia fuit Melchisedecianorum, cujus primus Auctor, ut tradit Theodoretus hæc. fab. L. II. c. 6. fuit THEODOTIVS arte argentarius Theodoti Byzantini coriarii discipulus & sectator. Teste Hypponenfium præfule divo Augustino de hæresibus Cap. 34. error illorum erat, non fuisse Melchisedecum hominem sed virtutem Dei, sive ut clarius explicat Theodoretus loc. cit. Melchisedecum fuisse potentiam quandam & divinam & maximam, ad ejusque imaginem Christum esse factum; imo eo vesania sunt progressi, ut Melchisedeco templa extruxerint, eique vota fecerint. Conf. Alphons. de Castro Lib. X. adv. hæreses titulo Melchised. ut & Sixt. Senens. Biblioth. Sacr. Lib. V. Annot. 90. Contra hanc hæresin calamum strinxerunt ex patribus Epiphanius, Theodoretus, Augustinus aliique. Error hic videtur esse natus ex comparatione Christi & Melchisedeci male intellecta teste Buddeo hist. eccles. V. T. Sect. III. §. 3. Paulus vero superioritatem Christi demonstrat clarissime, Christum vero nominat filium Dei, imo Deum magnum super omnia benedictum in secula Tit. II. 13. Rom. IX. 5. & sacerdotem in æternum secundum ordinem Melchisedeci, Melchisedecum solummodo sacerdotem, & dicit eum assimilatam fuisse filio Dei, ergo antea non fuit similis filio Dei: deinde assimilatio respicit ad munus sacerdotii, sed non ad naturam ejus. Non potuit igitur Melchisedecus esse virtus Dei major Christo, sed fuit nudus homo longe inferior & minor Christo. Admodum inconcinnum etiam est, ne gravius

C 2 quid

21. 2


1
1
1
14
11
12

quid dicamus, Melchisedecum in meram virtutem vel potentiam convertere velle, adfuit subjectum ratione præditum, ut clarius dicamus, spiritus; nam loquebatur, bene est precatus patri credentium. Habuit corpus simile humano, obviam enim processit redeunti Abrahamo, & attulit panem vinumque, & recepit oblatas decimas. An vel fando hæc de potentia ad hoc ipsum creata possunt explicari? Adeone Deus vim suam omnipotentem contra summæ suæ sapientiæ dictamen profundit, ut potentiam talem vel virtutem creet, & peracto munere in nihili statum revocet, cui angelorum Myriades adsunt, qui via brevissima eodem munere fungi potuissent. An non hæc ipsa potentia præjudicium sospitatori nostro non potentia sed vere personæ, pareret maximum, assimilari nudæ tali potentia. Absit ut tam jejune cogitemus.

§. XII.

Properamus ad quintam sententiam, illorum, nempe qui simpliciter dicunt, eum esse majorem Christo, quia Christus est sacerdos secundum ordinem Melchisedeci, teste *Chrysofomo* Homil. XLV. Tom. 8. qui quoque eos eodem in loco refutavit. Et hæc sententia ortum traxit ex falsissima hypothese, Melchisedecum Christo esse majorem. Breviser igitur respondemus, Christum esse longe superiorem Melchisedeco, nam: 1) Christus est filius Dei, uti patet ex Matth. III, 17. XVII, 5. Joh. I, 18. Act. III, 13-26. Rom. I, 4. VIII, 32. Gal. IV, 4. Hebr. I, 1. III, 8. V, 9. 10. & multis aliis locis; Melchisedecus vero non est filius DEI. 2) Sacerdotium Christi est æternum Ps. CX. Hebr. VII. Melchisedeci non item, uti supra demonstratum dedimus. Christus quidem dicitur esse sacerdos secundum ordinem Melchisedeci, hoc ipsum vero indicat convenientiam intercedentem inter Christi & Melchisedeci sacerdotium, quam suo loco in clariorem ponemus lucem.

§. XIII.



§. XIII.

Examinauimus hætenus sententias, ad primam classem pertinentes, ordo nos ducit ad alteram classem, in qua decem differentes opiniones offendimus. *Prima* est eorum, qui asseruerunt, Melchisedecum fuisse hominem cælestem, ante Adamum existisse, ac habuisse corpus cæleste, quodam respectu spirituale: Refutauit hoc figmentum *Petavius* Tom. 3. *dogm. theol. tract. de opificio sex dierum l. 1. c. 4. Articulo 3.* etiam *Calmet* sæpius a nobis laudatus *loc. cit.* quia uero nullus homo prior Adamo legitur apud Moysen, inde patet, hanc hypothesin pro fabula & mero figmento esse habendam, non dignam refutatione; si hæc defendenda esset sententia, quot non præposteræ hypotheses essent concoquendæ. Dari u. g. inter angelos & homines medium aliquod creaturarum rationalium genus, quod nec ad homines nec ad angelos proprie pertineat: Esse inter illos sacerdotes Dei altissimi: Munera & decimas accipere ab hominibus: Habere humanarum rerum cognitionem, & tempore Abrahami unum aliquem descendisse: Habere panem & uinum, quibus refocillare redeuntes possint victores. Tædet plura addere, omnia argumenta, quibus Præadamitæ ad caucasum cum suo Prometheo relegantur, etiam proscribunt homines cælestes.

§. XIV.

Secunda sententia, cui color non deest, uult, Melchisedecum fuisse *Prophetam*, hac occasione missum, deferenda tamen & hæc sententia est, nam nunquam Melchisedecus uocatur propheta, sed sacerdos Dei altissimi; neque consistere potest cum historica narrationis simplicitate, nullibi etiam in sacro codice exstat, tempore Patriarcharum prophetas existisse, a Patriarchis diversos, quales sequentia tulerunt secula. Nam si talis Propheta existisset, aliquod ueritatis uestigium in S. Scriptura inueniretur, sed nec uola nec uestigium exstat, & talis quoque procul omni dubio in sua benedictione quædam addidisset de femine benedicto Abrahami, a

quo benedictio erat derivanda in omnes gentes, quod Moses silentio non prætermisisset. Et si re vera propheta fuisset, non videmus, quo jure Abrahamo præponi tanquam major posset, cum constet, & hunc titulo משינ prophetæ insigniri, & quidem ab ipso Deo, Gen. XX. 7. & Pf. CV, 15. & non minorem fuisse regulis istius temporis. Quod si Melchisedecus Rex Salemi, & sacerdos altissimi, simul prophetico munere exornatus fuisset, in ipsius persona quidem illustrissimum triplicis muneris Jesu Christi haberemus typum, sed non videmus, quare tantopere de tali typo debeamus esse solliciti, cum tot claros habeamus typos singulares, Christum in singulis muneris partibus dilucide referentes. Addere non erubescimus, talem typum, ne excellentiæ Jesu Christi derogaretur, & typus antitypo per omnia ad munus spectantia adjungeretur, esse non debuisse.

§. XV.

Tertia sententia est eorum, qui Melchisedecum Semum Noachi filium fuisse sibi persuadent. Mens hæc fuit veterum Judæorum *Jonathanis*, & paraphræos hierosolymitanæ, aliorumque, quos e christianis nonnulli sequuntur, uti *Petrus Furieus*, videatur *B. Lutherus* Comm. in Pf. CX. Tom. VII. & *David Gerbard.* Comm. in Gen. c. XIV. Q. VI. Semus Melchisedecus esse non potuit, nam dicitur γ. 3. quod fuerit *αγενεαλόγητος*, Semus non fuit *αγενεαλόγητος*, nam illius genealogiam recenset Moses. Excipiunt quidem sententiæ patroni, genealogiam ejus non tradi sub nomine Melchisedeci, sed sub nomine Semi. Sed exceptio hæc plane est straminea, etiam si enim sub alio nomine stemma ejus genealogicum a Mose adduceretur, tamen nequaquam esset *αγενεαλόγητος*, neque esset *απατωρ* neque *αμητωρ*. Erat, ut fateamur rem, Semus etiam sacerdos DEI, sed & fratres pro seculi moribus fruebantur in suis familiis juribus sacerdotalibus, quemadmodum etiam deinceps est factum, nam & Jobus, Abrahamus, Isaacus, Jacobus, tales fuerunt sacerdo-

cerdotes; Nunquam autem κατ' ἐξοχην sacerdos altissimi saluatur. Et quia Semus procul dubio in terra Sinear cum posteris nonnullis substitit & remansit, per miraculum summum subito in viciniam Hierosolymæ pane & vino onustus erat transportandus, ut Abrahamo obviam venire posset, & hoc factò ad patrios lares itinere non brevi est remittendus. Quis talia sibi de Semo decrepito persuadeat. Præterea si Melchisedecus fuisset Semus, Mosès & Paulus hunc honorem illi non detrectassent, sed illum nominassent.

§. XVI.

Quarta est illorum, qui putant eum *Chamum* fuisse, Conf. *Petrus Furieus*, Hist. Crit. Dogm. & cult. &c. parte I. c. 10. Melchisedecus vero fuit Patriarcha sanctissimus, pro quo Chamus haberi nequit, uti patet ex maledictione Noachi Gen. IX. 22. 25. Præterea Chami genealogia enarratur a Mose, Melchisedeci non item, non potest igitur haberi pro Melchisedeco. Observat porro *Buddeus* in hist. eccl. V. T. Sect. 3. Chamum in Canaane sedem non habuisse, sed in Ægypto, quæ ab ipso nomen est sortita, & dicitur terra *Cham* Pf. CV. 23. 27. CVI. 22. eundem in sensum & Pf. LXXVIII. 51. dicitur, *Deum percussisse omnem primogenitum in tentoriis Cham*, videatur de hac re fufius Ludov. Borgesius in Hist. Crit. Melch. c. 4. sunt quidam ex Philologis, qui terram Canaan a Chamo & ejus posteris habitam fuisse non sine probabili ratione contendunt, uti Daniel Hamel Gedan. in singulari quadam dissert. de Melch. quia vero hic non disputamus de sede posterorum Chami, sed an fuerit Melchisedecus, hanc rem in medio relinquimus.

§. XVII.

Quintam sententiam amplexi fuerunt illi, qui *Faphetum* fuisse perhibent, uti observarunt *Akersloot* in explic. Epist. ad Hebr. ad hunc locum, & *Buddeus* in loco supra cit. sed evertunt hanc conjecturam eadem argumenta, quibus evicimus

21.

14.

11.

12.

mus, neque Semum neque Chamum Melchisedecum esse dicendum. Ejus genealogia est nota, Melchisedeci vero ignota, noti sunt ejus parentes, fratres, posterius, nunquam *κατ' ἐξοχὴν* sacerdotis altissimi cohonestatus est titulo, filio DEI nunquam est assimilatus, tantum ex benedictione paterna debuit in posteris expectare habitationem in tentoriis Semi, & conversionem ad Deum suum, quod factum fuit, postquam regnum Jesu Christi per totum terrarum orbem est promulgatum Gen. IX. 27.

§. XVIII.

Properamus ad sextam opinionem, scilicet eorum, qui putarunt Henochum fuisse, quem Deus ex beatorum sedibus, in quas translatus fuerat, in terram miserit, ut regio ac sacerdotali munere hac occasione fungeretur. Defendit hanc opinionem *Henr. Hulsius* in peculiari libro *Conf. Buddeus* in loco cit. sed refutatus est a *Saliano* in *Præf. Tom. V. Annal.* præmissa. Sed & hæc hypothesis perquam improbabili nititur conjectura, & quæ pro ejus defensione allegari possunt, illam simul subruunt. Non fuit sine genealogia, noti ejus sunt parentes, & singulari ratione sacerdos altissimi nunquam dicitur. Et si fuit Henochus, quare sub novo nomine introducitur a Mose, an forsitan qui cælestium sanctissimo choro sunt inferti, nova accipiunt nomina, quemadmodum Romanorum quondam Imperatores divis adscripti? Satis liberaliter etiam ex cælesti gloria in terram mittitur, quo tempore minime necessarium erat. Omnia enim apud Abrahamum peragenda talia erant, ut ab homine perfici sat commode possent. Et cui bono decimas Henochus, qui vivens & spirans nuncium miserat opibus, vitæ cælesti in terris adfuetus, postquam gloriæ beatorum particeps erat factus, post mortem collegisset. Non juvat dicere hac occasione regio ac sacerdotio functum esse. Aderant in terris sceptrigeri, neque deerant sacerdotes. Non mittit cælicolas ad hæc officia Deus, nequidem angeli comites nostri assidui, excellen-

cellentioris naturæ spiritus ad hæc officia delegantur. In transfiguratione gloriosa Jesu Christi, quæ in monte paullo ante obitum ejus contigit, quidem apparuerunt Moses & Elias, gloria cælesti venerabiles, sed aderant circumstantiæ extraordinariæ, agebatur nempe de salute totius generis humani, tales casus autem non aderant, cum victor ex acie rediit Abrahamus.

§. XIX.

Succedit *septima* sententia, quæ Melchisedecum confundit cum Jobo, quam fovet *Gotthofredus Koblveifus* in chronologia sacra pag. 190. & seqq. teste *Wolfio* in loc. cit. Parum autem admodum sese hæc sententia commendat. Nam 1) Jobus quidem salutatur Vir pius & integer, nullibi autem per excellentiam vocatur *sacerdos altissimi*. 2) Non in Canaane sed in Arabia regnasse communis interpretum est sententia, quomodo igitur tam subito patria sede relicta, duorum vel trium ad summum dierum spatio, audito nuncio de Abrahami victoria advolare potuit. 3) Quando de Jobo scriptura verba facit, ipsum suo nomine vocat, v. g. Ezech. XIV. 14. 20. Jac. V. 11. quare autem a Mosè & Paulo alio sub nomine introduceretur. 4) Finem habuit dierum Job. XLII. 17. Repugnare etiam Chronologia videtur, probabile enim est nobis hoc tempore jam vivere desiisse, ignotum fuisse Abrahamo, & Salem regiam ipsius nunquam vocari.

§. XX.

Sequitur *octava* sententia atro carbone notanda, quæ fuit quorundam Judæorum, teste *Epiphanio* hæresi 55. qui asserere ausi fuerunt, Melchisedecum fuisse nothum, sive ex illegitimo thoro natum, qualis olim duabus litteris S. P. notabatur. Hæc vero sententia injuriam infert muneri ejus sacerdotali, nam lex divina deinceps lata omnes ex illegitimo concubitu natos a sacris removet, imo etiam temerati & aliquo corporis vitio laborantes a sacris remoti in conclave

D

ligno-

lignorum relegabantur Lev. XXI. 16. Estne etiam probabile, spiritum sanctum, qui quærit gloriam Jesu Christi non secus ac pater, spurium esse voluisse typum Jesu Christi? Nota sunt, quæ blaspheme Judæi contra sospitatoris nostri natales impuro ore clamitant. Quod si igitur Melchisedecus ex illicito congressu lucem adspexisset, non deesset quod Paulo Melchisedecum cum Christo comparanti regerere possent recutiti. Qualis tandem esset gloria Jesu Christi, sacerdotem esse juxta ordinem talis. Tædet plura addere.

§. XXI.

Nonam sententiam amplexi fuerunt illi, qui Melchisedecum ethnicum vocant. Quidam annotante *Epiphanio* hæresi 55. putarunt patrem Melchisedeci dictum esse *Eraclam*, matrem vero *Astaroth*, sive *Asteriam*, alii uti *Michael Glycas* Annal. pag. 55. *Georgius Cedrenus* Lib. I. pag. 27. volunt Melchisedecum ortum suum trahere ex genere *Ægyptio*, patrem habuisse *Sidonem* aut *Sidom*, conditorem urbis *Sidonis*, qui filius fuit regis *Ægypti*, alias addunt fabulas, quas allegat sæpe laudatus *Calmet* in l. 2. *Antiq. N. T. Orat.* 30. Hæc sententia, quod negandum non est, aliquid ex vero trahit, admittit enim natalibus illustrem virum, extra familiam *Abrahami* ortum, qui hoc sensu vocari potest ethnicus, non autem acsi Dei altissimi fuisset ignarus. Sed quis fidem interponat, fabulis narrationem hanc non fuisse conspurcatam; si scriptores post fata *Pauli* viventis sciverunt genealogiam, Patrem aliaque Melchisedecum concernentia, *Paulus* rerum in sua gente gestarum indagator solertissimus, procul dubio clarius fuisset instructus de omnibus, & nunquam dixisset sine patre Melchisedecum fuisse, sine matre sine genealogia.

§. XXII.

Quatuordecim sententias virorum doctorum hætenus cum nostra epicrisi adduximus, restat ut, quænam nostra sit sententia, ostendamus, illamque, validis, quantum fieri potest,

potest, argumentis, adstruamus. Propendemus igitur in sententiam eorum, qui, Melchisedecum fuisse regem urbis Salemi, eo tempore non incognitum, ex posteris Noachi originem ducentem, pro explorato habent. Argumenta pro hac sententia militanter passim adduximus. Hic vero justo agmine sunt producenda. I.) Argumentum desumimus ex nomine ejus מלכי-צדק supra §. V. jam observavimus esse hoc nomen proprium, nam Abrahamus eum hoc nomine compellavit &c. Excipere hic non licet, Mosen ei hoc nomen indidisse, ipsius enim erat ut historici fidelis nomen proprium viri Abrahamo occurrentis, in tam singulari casu indicare, non autem novum & inauditum hactenus imponere. Lineola מִקְרָה, per quam duæ voces מלך & צדק quasi ununtur, & in unum nomen proprium compescuntur, idem suadet, hinc enim fit, ut voces, quæ hanc lineolam habent, semper acsi una vox esset uno quasi halitu pronuncientur. Paulus saltem hoc observavit, exprimens has duas voces per unam, nempe *μεγαλιζεν*, Hebr. V. 6. 10. VI. 20. & VII. 10. 11. 15. 17. 21. Judæi nonnulli teste *Daniel Hamel* in disert. de Melchif. non sine omni ratione contendunt, fuisse id tum temporis commune nomen regum Hierosolymæ, uti aliquando פְּרִיעָה Ægyptiorum, videmus etiam regem Hierosolymæ vocari אֶרְנֵי-צִדֵק Jos. X. 1. Deinde prædicata postulant, ut pro proprio viri nomine accipiatur, talia enim sunt, quæ uni solummodo homini competunt, uti quando narratur, illum fuisse & regem & sacerdotem, alimenta cibum & potum protulisse, Abrahamo benedixisse, & decimas ob eo accepisse. Porro nomina cæterorum regum, quæ in hoc capite existant, pro propriis omnium consensu sumenda sunt, non videmus igitur, quare hoc nomen sumi debeat aliter. Manifestum hinc esse existimamus, hoc nomen non esse cognomen, uti *Torniellus in Annal. sacris ad A. M. 2118.* statuit, ad probandum Melchisedecum fuisse Semum, qui hoc loco sic a Mose vocaretur. Sed si fuisset cognomen Semi, in uno aut altero saltem loco, ubi de eo fit mentio, hoc

D 2 nomen

21. 2

14

11

nomen legeretur, sed ubique nomine Semi appellatur, & quoties de Melchisedeco mentio injicitur, ei hoc & non aliud nomen datur. Profert quidem non nulla mutatorum variis de causis nominum exempla, uti quod Octavianus Cæsar ob auctum imperium dictus sit Augustus, Gregorius episcopus Neocæsariensis ob miraculorum multitudinem thaumaturgus, & quædam alia. Exempla autem hæc nequidem illustrant argumentum nostrum, multo minus illud probare possunt, etiam consequentia illa, quia multi ob hanc vel illam causam cognomen accipiunt, ergo & Melchisedecus est cognomen Semi, non valet, nullum quoque vestigium in sacris litteris exstat, cognomen Semum habuisse; Abludit insuper etiam a moribus & simplicitate illorum temporum, quibus uno tantum nomine alter ab altero destinguebatur. Vide *Benedictum Pererium* in comm. in Gen. 14. qui *Cajetanum* hujus sententiæ fautorem refutavit. Fortasse dicet alius, hoc nomen propterea non esse nomen proprium, quia aliquam significationem in se comprehendit, sed non moramur hanc exceptiunculam, notissimum enim est hebraica nomina esse significativa, v. g; nomen Abrahami patrem multorum populorum significat Gen. XVII. 5. Benjamini filium dextræ Gen. XXXV. 19. Sic reliqua Jacobus Isaac Noachus Josephus & cætera nomina propria non solum aliquid in sacris significant, sed eum in finem, ut aliquid certi significarent a parentibus & sæpe Dei Jussu personis data sunt. Vide *Glass. gramm. sac.* pag. 789. & seqq. Inde probabile videtur, hoc nomen Melchisedeci ei singulari instinctu divino inditum fuisse, quia illius typus erat futurus, qui ut princeps pacis reconciliare cum Deo debebat peccatores. *Conf. Hamel* supra cit. Postulat hæc occasio, ut ad *ἑτυμολογίαν* hujus nominis nos conferamus, inquisituri & compositionem & notiones tam primarias quam secundarias; Vox igitur hæc composita est ex מלך & צדק. Annotamus vero quasi ἐν παρρησίᾳ litteram, non esse suffixum pronominale, contrariatur enim interpretationi Pauli, qui hoc

hoc nomen reddidit per *regem Justitiae*, non per *regem meum Justitiae*, est igitur paragogicum, frequentissimi usus in nominum propriorum compositione, sicuti in *Abimelech*, *Sarai*, *Adonisedec*, *Adonijab*, *Adoniram*, *Adonibefek*. Quod attinet ad primarias notiones מלך & צדק του מלך notio sita est in *subigenda massa*, inde dominium & regnum omnibus in dialectis effluxit observante *A. Schultens in notis ad excerpta ex anthologia veterum Arabum* p. 490. qui enim aut directe aut indirecte subigunt regna, & subditos acquirunt, illi vocantur reges, hoc autem faciunt omnes; Proprietas porro του צדק sita est in eo, ut quod *rectum & rigidum* est, declaret, *vid. Schult. Sect. 11. partis alteræ vindic.* omnis justitia, quæ est secundaria ejus notio, consistit in rectitudine & rigiditate, id est perseverantia & immobilitate actionum bonarum; significat igitur מלכי-צדק vi compositionis *regem justitiae*, uti Paulus quoque annotavit ad Hebr. VII. Hæc indagatio Etymologiæ nominis sufficere nobis videtur. Ex hujus & §. 5. dictis igitur concludimus, Melchisedecum esse hominem verum, vidimus enim hoc nomen esse nomen proprium Melchisedeco qua homini competens.

§. XXIII.

II) Ex regia fede existimamus porro patere, eum esse habendum pro homine, sedes hæc regia fuit urbs *Salem*, de qua inter Theologos & Philologos disputatum est admodum. *Hieronymus* Tom. IV. Epist. 126. ad *Evagrium* statuit, hanc urbem fuisse urbem *Sichemorum*, de qua Gen. XXXIII. 18. mento fit, teste *Hamel* in loco cit. opposuerunt se huic sententiæ *D. Gerbard. Comm. in h. l. & Sup. Epist. ad Hebr. VII. D. Waltberus* in *Offic. Biblic. p. 754. Rivet. comm. in h. l. Salius in Annal. Eccles. ad A. M. 2118.* Observamus interim ad hunc locum, 70. Interpretes verba יְעֲקֹב שָׁלַם עַר שְׂכָם יוֹבָא interpretatos fuisse per *καὶ ἦλθεν Ἰακώβ εἰς σαλήμ Πόλιν σικίμων: שָׁלַם* hic sumunt


D 3

21.

14.

11.

munt pro nomine proprio urbis, alii vero uti *Junius & Tremellius* & plurimi interpretes verterunt, & venit *Jacobus INCOLVMIS ad civitatem Sichem*, & sic שלם verterunt per nomen adjectivum INCOLVME, quæ versio magis convenit sensui, quam versio 70. interpretum, quæ mihi plane non arridet, nam talem urbem tunc temporis in ditione Siche-
 mitarum fuisse non est probabile, nullibi saltem extat, hanc ob causam hic locus fortasse ambiguus a *Clerico* vocatur in comm. ad Pentateuchum ad locum cit. præterea annotavit *Hamel* in l. c. *Hieronymum* sibi ipsi contradicere, quia in loco supra citato scripsit hanc urbem fuisse eam, quæ Gen. XXXIII. legatur, & Tom. I. Epist. 17. ad *Marcellam*, ubi de Hierosolyma loquitur, *recurre*, inquit, ad *Genesin*, & *Melchisedech*, *regem Salem*, *hujus principem invenies civitatis*. Apparet hinc sententiam *Hieronymi* nullius esse valoris, quia sibi ipsi non satis constitit in determinanda hac urbe. Alii dicunt, hanc urbem fuisse σαλειμ Joh. III. 23. uti in §. 5. observavimus, illa vero urbs esse nequit, quia σαλειμ respondet Hebraico שלחם Joh. XV. 32. atque σαλειμ & αλων Joh. III. uti & שלחם & עין Jos. XV. 32. fuerunt urbes vicinæ. Obstat præterea parallelismus Pf. LXXVI. 3. ubi שלם observante Joh. *David. Michaele*, in notis ad *Peircii Poraph. in Epist. ad Hebr.* ad h. l. Salem est Hierosolymorum pars inferior, Sioni monti subjecta. Hierosolyma dividebatur, ut notum, in partem superiorem & inferiorem, & hæc inferior hic videtur intelligenda esse, quæ alias vocatur secunda 2 Reg. XXII. 14. בְּמִשְׁנֵה & Pf. LXXVI. 3. simpliciter dicitur Salem, pars autem superior erat arx, atque urbs Sion, quam jebulitæ, ad Davidis usque tempora, in sua potestate retinuerunt. Hæc igitur urbs fuit sedes Melchisedeci, nam illius rex appellatur Gen. XIV. & Hebr. VII. nulla quoque ratio sufficiens datur, quare hic a simplicitate Mosaicæ narrationis recedendum sit, & si unum nomen proprie sumendum ergo & alterum. Nomen Melchisedeci esse
 pro-



proprium, & sic sumendum probavimus, ergo & nomen Salemi pro nomine proprio urbis sumi debet. Si jam Melchisedecus re vera fuit rex urbis Salemi, quod probavimus, ergo fuit verus homo, omnes enim hujus terræ reges ex hominibus sumuntur, nam personæ divinæ nunquam in terra in forma & habitu regum inter homines se pro regibus gesserunt, exemplum saltem talis dominii adferri nequit, neque etiam angelos tale quid fecisse probari potest.

§. XXIV.

III) Ex actionibus mere humanis *tertium* petimus argumentum, Melchisedecum fuisse hominem. Dicitur enim *protulisse panem & vinum*, mos enim erat apud veteres exercitui victrici cibo ad illum reficiendum occurrere. Eodem modo Melchisedecus audiens Abrahami victoriam illi secundum consuetudinem obviam ivit, proferens panem & vinum ad Abrahami & exercitus ejus refectionem. Quando vero ipsi Melchisedeco hoc a Mose adscribitur, non ita est intelligendum, ac si ipse rex & quidem solus, comitatu & famulatio destitutus, panibus & utribus vino plenis onustus accessisset ad victorem Abrahamum. Processit, quomodo solent reges & principes, suis satellitibus cinctus, & hi ipsi erant bajuli, panem vinamque portantes, non autem rex. Si enim vel maxime hoc munere fungi voluisset Melchisedecus, vix quantum Abrahamo satis erat adducere potuisset, cum interim servis a cædibus fagitatis, aut parum aut nihil refocillationis accedere potuisset. Non sine ratione *Josephus* lib. 1. Antiq. c. 17. dicit. *milites Abrahami liberaliter habuit nihil iis ad victum deesse passus*. Ex stili sacri autem proprietate hoc ipsum Melchisedeco adscribitur, quia ejus jussu mandato & auctoritate servi panes necessarios adduxerunt, & quia servorum & mulierum non nisi rarissime mentionem faciunt sacræ litteræ. Pluribus hoc evicit Vir summus *Phil. Heinus* illudque exemplis exceptione majoribus demonstravit in *observationibus sacris* lib. I. p. 75. quo lectorem obligamus. Cætera moris fuisse, ut e bello redeuntibus & victoria

21.

2

/ 4.

/ 11.

Etoria potitis, cum cibo refocillationis causa, obviam iretur
monet supra laudatus *Hamel* allegans Jud. VIII. 5 - 15.

§. XXV.

Quia in textu dicitur **וַיִּזְכֹּר לָהֶם לֶחֶם וַיִּזְכֹּר** liceat nobis in
φρασεως Etymologiam breviter inquirere. Primaria notio
του **לֶחֶם**, cujus præteritum in hiphil hic exstat, est sita in
micatione ignis, aurora, lucis, orientis solis, fulguris, & sic
porro; Hinc etiam **לֶחֶם** significat apud Arabes, *emicavit*.
Qui enim iter facit, exit splendente & micante sole, aut igne
aliquo, veluti lucerna est instructus, ne aberret a via: Per
וַיִּזְכֹּר vinum sive vitis fructus intelligitur: **לֶחֶם** omnis generis
cibum denotat, conf. Gen. XVIII. 5. XLIII. 31. Jes. LVIII. 7.
deinde autem *κατ' ἔροχον panis*, cibus communis & quo-
tidianus, hoc nomine venire solet. Hoc in loco autem per
לֶחֶם non solus intelligendus est panis, procul enim dubio
& alii cibi allati fuerunt, ut munus illud regium tanto esset
lautius, & milites eo melius reficerentur. Illustrare hoc li-
cet ex historia *Zibæ* obviam procedentis Davidi, & addu-
centis panes, uvas, poma, vinum 2 Sam. XVI. 1. & seqq.
Hæc cum ita sint & cum phrasis nihil extraordinarii, & a
moribus sæculi alienum contineat, non satis mirari possu-
mus, qui hic *Pererius, Bellarminus, Corvelius a Lapide*, &
qui ipsos sequuntur, sacrificium & quidem typicum, sacri-
ficii Missæici invenire potuerint. Nulla fit mentio altaris,
non sacrificii, non ignis ad sacrificium absumendum sacri,
non adductionis, non præparationis, imo ne quidem no-
men sacrificii additum legitur, Paulus Hebr. VII. hoc sacri-
ficio simpliciter ignoravit. Ostenderemus hoc pluribus,
nisi otium nobis fecissent *Chamierus in Panstr. Cathol. Tom.*
4. Turvet. Theol. Elench. Tom. 2. P. M. 446. & seqq. & Pa-
reus ad Gen. l. c. qui egregie Pererium, Bellarminum & Ly-
ram depexuit: Chammitius in exam. Concil. Trid. part. ubi
agit de missa. Ex dictis jam concludimus Melchisedecum
tan-

fuisse hominem, nam si Melchisedecus tanquam rex obviam Abrahamo exivit, proferens munus aliquod regium, consistens in pane & vino, id est in cibis lautioribus & potu optimo, necessario debuit esse homo. Divinis enim personis attribui hoc minime potest, nam servilia officia nunquam præstant hominibus. Prospexit quidem Deus per omnipotentem suam gubernationem in casu urgentis necessitatis interdum de cibo & potu etiam via insolita, quemadmodum exempla notissima, Israëlitarum in deserto, Eliæ, Danielis & aliorum docent, sed nunquam legimus personam divinam visibili forma assumpta hæc attulisse. Ne quidem adeo casus sic dictus necessitatis, repentinum Dei efflagitans auxilium, facile enim Abrahamus com meatum necessarium habere potuisset. Nulla insuper hic conspicua sunt signa præsentis divinæ majestatis uti suo loco videbimus.

§. XXVI.

Transendum nunc nobis est ad secundam Melchisedeci actionem nempe benedictionem, qua ut sacerdos benedixit Abrahamo. Hic igitur observandum, eum vocari sacerdotem Dei altissimi, id est sacerdotem Dei veri, Dei summi, qui cæli & terræ solus & summus est Dominus, quemadmodum describitur Pl. XCVII. 9. Communis hæc est interpretum observatio, sed gloriosum hoc encomium excellentius quidpiam adhuc includere videtur, quod ad §. 28. breviter indicabimus. Quæstio vero hic moveri solet, non tam de eo, quare & rex & sacerdos fuerit, quæstio potius instituitur de sacerdotio Melchisedeci, utrum publicum, an privatum fuerit, hoc est an tantum in cultu sacrorum regię suæ familiæ præverit, vel an sacrorum antistes & custos fuerit omnium civium suorum nimirum Salemitarum & aliorum? Et hæc & illa sententia suos habet patronos ac defensores. Probabile nobis videtur fuisse publicum sacerdotem, suadere hoc videtur honorificus sacerdotis altissimi titulus. *Abrahamus, Isaacus, Jacobus, Jobus* & alii pro se rem divinam

E

21. 2

14.

11.

vinam facere solebant, non tamen vocantur sacerdotes Altissimi: Melchisedecus vero hoc nomen gerit in emphasi, plusquam probabile igitur est, ejus sacerdotium publicum fuisse. Accedit & regem & sacerdotem fuisse pro more veterum, ut statim dicemus. Rex vero si sacerdotio simul fungitur, non potest esse sacerdos privatus; Denique verbis non est opus, adsunt testimonia, actum sacerdotalem administrat Abrahamo, qui tamen suorum sacra curabat, & neque ex Melchisedeci familia neque Salemitanis erat, certo indicio publicum & satis notum fuisse sacerdotem. Intactam prætermittere hic non possumus singularem sententiam Clar. *Hammondi* in Nov. Test. ad hunc locum, conjectantis, Melchisedecum ultimum sacerdotem veri Dei inter Phœnices fuisse. Supponit viri docti sententia, non tantum Dei veri cultum inter Phœnices ante Melchisedecum conservatum fuisse, sed & publicos suos habuisse sacerdotes. Præfracte negare hoc nolumus, libenter potius fatemur, & alios veri Dei cultores extra familiam Abrahami existisse, nondum enim paries intergerinus, cujus fundamenta tantum erant jacta, erectus erat. Potuerunt igitur Phœnices habuisse veri Dei sacerdotes & cultores; Interim quo jure Melchisedecus vocetur ultimus horum sacerdotum non videmus. Silet scriptura, & per conjecturam non longe petitam, sed felicem efficitur, & alios sacerdotes veri Dei, postquam mortalibus ereptus erat Melchisedecus, saltem inter Salemitanos aliquamdiu fuisse. Didicerant Salemitani veri Dei cultum a Melchisedeco suo rege, vel saltem ipso auctore & duce continuaverant. Non statim igitur & cultus hic & cognitio, ipso defuncto deleri poterant. Interim hi sacerdotes non tam celebres erant, quam quidem Melchisedecus, neque alloquiis divinis cohonestati quemadmodum ille. In tertia & quarta progenie Salemitarum hic cultus demum desuisse videtur. Quicquid vero sit, certum est, fuisse eum sacerdotem Dei altissimi, & ut sacerdotem benedixisse Patriarchæ Abrahamo, qua actione se hominem præstitit, nam benedictio verbalis qualis hæc erat humana est, competens sacerdoti-

dotibus, qui sumuntur ex *αὐθροπῶν* Hebr. V. 1. & hominibus dantur; Hinc per se patet, non divinæ personæ, conferentis quidem, sed non apprecantis bona, neque angelo hanc actionem attribuendam esse, nam nunquam sacerdotium administrarunt inter homines, ut qua sacerdotes hominibus benedicerent, ergo Melchisedecus, qua sacerdos benedicens, non fuit divina persona, neque angelus, sed verus homo.

§. XXVII.

Melchisedecus vocatur *Rex & sacerdos* simul, per, enim particulam copulativam, connectitur munus sacerdotale cum munere ejus regio. Moris fuisse apud antiquissimas gentes, ut reges simul essent sacerdotes, tradunt scriptores profani, vid. *Liv.* l. 2. c. 2. *Diogenem Pythagoricum* apud *Stobæum* Sermone 46. ubi de Anio refertur, fuisse regem hominum, Phœbique sacerdotem; Alia exempla afferunt alii: Juxta hanc temporum consuetudinem & vocationem extraordinariam ut nobis videtur Melchisedecus rex & sacerdos erat. Non diu autem hic mos obtinuit, ut splendida hæc munera ab iisdem implerentur personis. Legimus enim quod tempore Jacobi Ægyptii jam suos habuerint sacerdotes, & in populo Israëlitico gladius cum Sceptro traditus fuit tribui Judæ, Levitis vero cum altari thuribulum. In N. T. Christus Apostolis suis potestatem sæcularem & dominium non concessit. Matth. XX. 25. 26. Luc. XXII. 25. 26. 1 Petr. V. 3. neque etiam commode sacerdotium & imperium in una persona conjungi possunt. Religio quidem bellum non infert imperio bene juxta regulas justitiae & æquæ & prudentiæ sanæ instituto; Interim alia expectantur a regibus alia a sacerdotibus. Res externas civiles curat princeps, leges ad publicum bonum promovendum spectantes fert, & vi ad obedientiam cogit & cogere debet refractarios. Bella gerit & offensiva & defensiva ad publicæ rei securitatem & quietem conservandam, & non sibi temperat a sanguine & cædibus: Vastat destruit & expellit adversarios pacis æquas leges sper-

nentes. Sacerdos animæ curam suscipit, precibus apud Deum intercedit ad impetrandam peccatorum veniam peccantiumque emendationem. Non fulmina mittit, suadet, rogat, hortatur, dehortatur, sceleratos; Obedientiam manu forti non extorquet, sed prægnantissimis commendat motivis, sic amorem inimicorum, tolerantiam, pacis studium, aliasque virtutes inculcat, Deo committens ut incrementum & fractum det piis laboribus. Quæ apud Deum sunt per agenda tractat. Frustraneo igitur conatu ex Melchisedeci Historia Romano Catholici utrumque gladium personis ecclesiasticis in specie Papæ esse concessum, evincere student. Notarunt confessorum Augustani hunc abusum art: VII. seqq. *Magnæ disputationes fuerunt de potestate episcoporum, in quibus nonnulli incommode commiscuerunt potestatem ecclesiasticam & potestatem gladii & ex hac confusione maxima bella, maximi motus, exstiterunt, dum pontifices, freti potestate clavium, non solum novos cultus instituerunt, reservatione casuum, violentis excommunicationibus conscientias oneraverunt, sed etiam regna mundi transferre, & imperatoribus adimere imperium conati sunt, hæc vitia multo ante reprehenderunt in ecclesia homines pii & eruditi &c. Et re vera cum ministerium ecclesiasticum respectu formæ distinctum est a dominatu politico, hanc ob rem nullo modo confundenda sunt: teste Hamel sæpe laudato. Non patrocinari autem historiam Melchisedeci causæ pontificiorum vel inde apparet, quia erat exemplum singulare, fuit Melchisedecus hac in parte illustris typus Jesu Christi. Hoc qui imitari exemplum vult, non tantum ostendere debet, se ad utrumque munus, quemadmodum Melchisedecus, esse vocatum, sed & legibus divinis esse sancitum, ut constanter hoc observaretur in ecclesia, quod neque ex veteris neque ex novi Testamenti tabulis, solidis argumentis demonstrabitur. Etsi vel maxime hic mos obtinuisset in œconomia Mosaica, cujus contrarium tamen est notissimum, tamen conclusio, igitur in œconomia sub Evangelio Jesu Christi hoc obtinere debet, minime procederet. Quia vero pluribus de hoc argumento in Theologia Polemica agitur, in eo discutendo fusi esse nolumus.*

§. VXXVIII.

§. XXVIII.

Argumentabimur *quarto* loco ex receptione five veneratione, ab Abrahamo ipsi præstita, & demonstrabimus ex hac quoque patere eum fuisse hominem. Abrahamus recepit Melchisedecum, ut hominem & quidem ut sacerdotem, hoc pater, quia decimas ei dedit, de quibus suo loco videbimus. Ad honorem hunc exhibendum varia victorem Abrahamum incitare poterant: sua præsentia Melchisedecus ipsum honorabat, qui regia corona redimitus ipso erat major, inter votivas acclamationes & benedictiones munera & dona ipsi offert, & de victoriæ lætitia & gaudio acsi esset communis participat. Talia hæc erant, quæ non poterant non honorem extorquere Abrahamo. Qualis jam erat ipse honos? divinus esse non potuit. Nam quando persona divina ipsi apparuit uti Gen. XVIII. longe alium præstat honorem, quam quidem exhibuit Melchisedeco. Huic ipse in occursum citato properat gradu, inclinato ad terram capite salutatur, profunda humiliatione alloquitur, *si inveni gratiam*: Compellat hanc personam nomine אֲדֹנָי Adonai (in fine cum τ notato, quomodo de Deo solet usurpari) & יְהוָה Jehovah, veneratur illam ut judicem totius terræ. Ipsa persona divina etiam se ut talem demonstrabat per attributa soli Deo propria, per omniscientiam, omnipotentiam, per supremum in mortales jus, per commendationem & laudationem pietatis, & detestationem vitiorum. Nihil simile in historia nostra sese offert: Non nisi humana offendimus in Melchisedeco, & in Abrahamo desideramus profundam illam humiliationem, ut Adonai & Jehovah ab ipso non salutarur, sed præstito honore eodem, quem exhibuerat regi Sodomæ, qui ex latebris audito læto de Abrahami victoria nuncio prodit, Melchisedeco e spoliis decimas persolvit, & regi Sodomæ amissas restituit opes. Ex receptione igitur manifestum est Melchisedecum non fuisse divinam personam, neque angelum, sed verum hominem.

§. XXIX.

V.) Comparatio Melchisedeci cum filio Hebr. VII ab Apostolo instituta manifeste porro docet, eum fuisse hominem, nam de persona divina non potest dici, quod sit assimilata filio Dei; Personæ divinæ sunt coæternæ, de quibus prædicari nequit, quod sibi sint assimilatae, quis v. g. de patre diceret, aut de spiritu sancto assimilatus est filio, & si Melchisedecus est ipse filius secunda S. triados persona, filius sibi ipsi esset assimilatus, quod contrariatur naturæ similitum vid. §. VI. neque de angelo prædicari hoc potest, quia angeli non præfigurarunt Messiam, & cum filio Dei comparantur nunquam. Minorem quidem factum esse angelis dicitur Hebr. II. 7. Coll. Pf. VIII, V. sed nullibi relatum legitur, angelos ipsi assimilatos esse, vel ipsum angelis. Ex dictis sole meridiano clarius elucet, Melchisedecum & a filio Dei diversum & verum hominem fuisse, quia assimilatus fuit cum filio DEI.

§. XXX.

Sextum argumentum pro nostra sententia ex eo elicimus, quia sospitator noster vocatur *sacerdos secundum ordinem Melchisedeci*. Sacerdotia omnia, quod ex sacris & profanis condiscimus monumentis, sua acceperunt cognomina, vel a numinibus, ad quorum cultum erant instituta, vel a suis primis institutoribus, vel etiam restauratoribus, nec non ab eximiis quibusdam & propter virtutes suspiciendis sacerdotibus; Illi sacrorum igitur præfecti, qui iisdem ritibus, sacrificiis cæremoniisque, & juxta eandem normam idem venerabantur numen dicuntur *ejusdem esse ordinis*. Cum igitur Apostolus, præeunte Davide Pf. CX. affirmet Christum esse sacerdotem juxta *ordinem Melchisedeci* certum aliquem ordinem huic adjudicat, quod ipsum jam supponit hominem fuisse, quemadmodum passim in antecedentibus observavimus. Dicit vero nequit, Melchisedecum auctorem institutoremque sacerdotii Dei Altissimi fuisse, viguit enim hoc semper,

per, & nunquam penitus fuit exstinctum, etiam Patriarchæ altissimi erant sacerdotes, cui sacra faciebant. Igitur vel pro restauratore sacerdotii hujus est habendus, vel saltem pro eximio inter sacerdotes Altissimi, digno, a quo totus ordo denominationem acciperet. Perinde autem nobis est, siue hoc siue illo sensu accipiatur, semper supponit hominem fuisse Melchisedecum. Non interim improbabile existimamus, sacerdotem altissimi dici, quia exemplar fuit suis omnibus & reliquis veri Dei sacerdotibus in religione, & publico Dei cultu, & quia Deus familiariter & frequenter se ipsi revelavit. Propter excellentiam, & quia amicus Dei quasi erat singularis, sacerdos altissimi audiri cæpit, silet interim Moses de divinis ipsi factis revelationibus, quia ad ipsius non faciebant scopum.

§. XXXI.

VII) Pergimus ad novum argumentum, ex emphasi vocum *ἕτερος ανισαται* Hebr. VII. 11. 15. desumptum, cui sua non deest in demonstrando vis. Hoc in loco spiritus S. dicit *ἕτερον alium* sacerdotem exoriri debuisse. Ex coherentia apparet alium sacerdotem quidem servatorem nostrum benedictum vocari, quia non erat ex sacerdotio Aharonis, sed & jure meritoque ut *ἕτερος* relate ad Melchisedecum consideratur, subjungit enim scriptor divinus statim *κατὰ τὴν τάξιν μελχισεδεκ ἕτερος*, quod ipsum supponit, sacerdotem nostrum unicum, quidem juxta ordinem Melchisedeci sacerdotem esse, ab ipso tamen distinctum. Argumentari hinc licet, quicumque est idem cum filio Dei, is dici nequit alius sacerdos, atqui Melchisedecus vocatur alius sacerdos, ergo non est idem cum filio Dei: Major probatione non indiget, quia alius non est idem, si Melchisedecus autem diversus est a filio Dei, quemadmodum re vera est, debuit esse aut spiritus S., aut angelus, aut homo, non ipse spiritus S. uti pater ex §. IX. non angelus uti ex §. X. liquet, ad humanum igitur genus necessario est referendus. Urgeamus

21.

1 / 14 / 11 / 12

mus rem ulterius, dicitur in loco nostro *ερερον ανισασθαι*,
 verbum hoc, cum nominibus munus & dignitatem signifi-
 cantibus, usurpatur de hominibus, nunquam de personis di-
 vinis vel angelis, & idem significat, quod latinorum *creare*
 cum his nominibus constructum, Conf. Act. II. 30. III. 22.
 26. VII. 3. V. 36. Rom. XV. 12. & sic porro. De Mel-
 chisedeco autem usurpatum legitur in loco, quem in mani-
 bus habemus versu nempe XV. ubi de servatore nostro Apo-
 stolus pronunciat, quod *κατα την ομοιότητα μελχισεδεκ
 ανισαται ιερως*. An non quam clarissime innuitur Melchi-
 sedecum hominem creatum & constitutum esse sacerdotem,
 & ad ejus similitudinem Christum.

§. XXXII.

VIII.) Natura manifestationum divinarum sub V. Te-
 stamento factarum etiam non parum in nostra nos confirmat
 sententia. Si omnes, quas commemoratas legimus, accu-
 rate lustramus, videmus semper signa corruscare nonnulla
 majestatica, numinis praesentiam declarantia, qualia erant
 fulgura, radios lucidos emittentes vestes, subitaneae dispari-
 tiones, adspectus igneus; Examinet quis omnes theopha-
 nias, & videbit asserti nostri veritatem. Debent etiam ta-
 lia signa adesse, ut per illa monerentur homines, rem ex-
 traordinariam contigisse, & ut sensum haberent praesentiae nu-
 minis: Nequidem angelicae factae sunt apparitiones destitutae
 evidentissimis signis spiritum caelestem manifestantibus. In
 tota vero Melchisedeci historia nihil simile nihil oculos fe-
 riens animi nostri exstat, quid igitur nos cogeret, ut finge-
 remus hic apparitionem. Et cum spiritus S. per suos ama-
 nuenses tam luculenter nos semper monuerit de apparitioni-
 bus divinis, merito quaerimus, quare tam illustrem even-
 tum, si vere contigit, hac occasione, tam superfunctorie
 proposuerit. Si hic aberramus a vero sensu Scripturae, ho-
 minem Dei loco ponentes, an non culpa erroris in spiri-
 tum S. esset conjicienda, non satis nos de Deo erudientem?

§. XXXIII.

§. XXXIII.

IX.) Sensus litteralis quoque demonstrat, de vero homine hic esse cogitandum, non autem de Deo vel angelo. Notissima est regula, non est recedendum a littera, nisi gravis & præponderans nos urgeat ratio; talis adest, si per litteram sensus ad impossibilia & absõna rediret, si contextui vis inferretur, si repugnaret aperte aliis locis idem argumentum tractantibus, si resisteret analogiæ fidei, vel si ipse spiritus S. alicubi vel directe vel indirecte mõneret, desinendam esse litteram. Si jam tenaciter inhæremus litteræ, nullam videmus absurditatem, non contradicimus aliis Scripturæ locis, de Melchisedeco loquentibus, contextus nullam patitur vim, neque spiritui S. monitori oblectamur, nullibi enim vel directe vel indirecte vult, ut hic de Christo, de angelo, vel de alio quam rege Salem cogitemus. Quod si cum his, deserendam litteram non esse probantibus, conjunguntur fuse hætenus a nobis disputata, aderunt rationes positive probantes urgendam & premendam quam maxime esse litteram, & Melchisedecum pro homine esse habendum.

§. XXXIV.

X.) Protegit nostram sententiam Theologia typica. Docet hæc, quando differit de typis in genere & de typis personalibus, in specie, typum & antitypum non esse unum idemque. Per *typum* enim personalem intelligit personam aliquam ante servatoris nostri adventum viventem, quæ ex intentione & voluntate spiritus S. in quibusdam rebus actionibus vel circumstantiis imaginem gerit alterius personæ & quidem illustrioris, quæ typi antitypus vocari solet, & quæ in œconomia nova est quærenda. Ad typum talem igitur pertinent, ut vera sit persona, ut præcedat suum antitypum, ut adsit spiritus S. declaratio, quæ unicum est Theologiæ typicæ fundamentum, esse talem personam typum, ut adsint talia, in quibus antitypum præfigurare possit sive ut terminis utatur in jucundissima typorum scientia usitatis, ut intercedant

F

cedant

21.

2

/

1

/

/ 4.

11.

/

cedant analogiæ inter typum & antitypum non obscuræ & longe petitæ. Omnia hæc egregie ad nostrum faciunt scopum. Melchisedecum fuisse typum declarat spiritus S. per Paulum Hebr. VII. ubi simul analogias intercedentes inter ipsum & Christum exponit. Hoc extra dubitationis aleam posito, sequitur, Melchisedecum veram antiqui temporis fuisse personam idest hominem suo tempore notum, & propter certas actiones humanas positum esse ut imaginem generet filii DEI.

§. XXXV.

XI.) Argumentum ultimum desumimus ex decimis, dicit textus sacer, & *dedit ei decimas de omnibus*. Ambigua hæc videntur nonnullis, inquirentibus, quis decimas dederit, vel acceperit? Quidam ex Judæis teste *Hamel* in l. c. putant, Melchisedecum Abrahamo decimas dedisse, quod per satis lepidam conclusionem hoc modo colligunt, ille decimas dedit, qui præcessit, quique benedixit Abrahamo, Melchisedecus vero est is, qui præcessit, & benedixit Abrahamo, Melchisedecus igitur & decimas dedit. Sed cum in lingua Hebræa sæpissime ἐναλλαγή, sive permutatio personæ inveniatur, cadit totum ratiocinium. Notissimum enim est in Hebræo textu ab una re vel persona, suppresso nomine, transitum fieri ad aliam, illamque ex dialogismo vel aliis circumstantiis subintelligendam esse, quod *Cel. Glassius* exemplorum farragine compobatum dedit. Dirimit etiam spiritus S. infallibilis interpret verborum suorum controversiam, expresse affirmans Hebr. VII. *Abrahamum decimas dedisse Melchisedeco*. De ipsis decimis quæstionem movent alii: sunt enim qui putant Abrahamum de omnibus suis opibus decimas dedisse, quemadmodum observat *Hammondus* in l. c. Paulus vero contrarium docet in Epist. ad Hebr. VII. 4. dicens decimas fuisse ἐκ τῶν ἀροθίων ex spoliis ἀροθίων enim non tantum sunt primitiæ frugum, sed & prædæ e prælio reportatæ, vel ex spoliis. Qualia vero fuerint hæc spo-

spolia, optime determinamus ex veterum divitiis, quas Sodomitis & reliquis eripuerant reges ab Abrahamo superati. Hæ erant filii & filiæ, vestes, famuli & ancillæ, five corpora ferva, quæ ut constat a veteribus rebus annumerabantur, fruges, five annona, aurum argentum, five signatum five purum, oves, boves, cameli, asini, & f. p. Hæc sunt illa, quæ constituiebant divitias Abrahami & Jobi Gen. XXIV. 35. Job. I. 2. & seqq. In prædam cefferant, spoliatis hostium devictorum castris, omnes hæ opes Abrahamo illasque reduxit. Ex hac præda & non ex omnibus suis opibus decimas, pro more veterum, anathemata ex spoliis, diis & sacerdotibus consecrantium, cujus vestigia luculenta etiam in historia Judaica deprehendimus, Melchisedeco Abrahamus liberaliter dedit. Accepit igitur Melchisedecus præter animantia varii generis, aurum, argentum, servos & ancillas, fruges commeatum exercitus. Ex hac decimarum receptione ad adstruendam thesin nostram argumenta validissima depromimus. Qui has decimas accepit nec filius Dei nec spiritus S. nec angelus esse potuit, non filius Dei aut spiritus S., quid enim his beatissimis, & qui sibi sufficiunt, quorum erat tota terra, cum decimis. Si decimas accepissent, illas aut pauperibus dare, aut Abrahamo regibusque, quorum hæ opes erant, restituere aut annihilare debuissent. Pauperibus traditas esse non legitur, quod procul dubio monuisset Moses, quia illustrissimum hoc exemplum omnes de cura pauperum monere potuisset. De restitutione harum decimarum facta aut Abrahamo aut regibus Sodomæ cæterarumque urbium altum pariter est silentium. Abrahamus illas ne quidem recepisset, offerebantur ipsi omnes opes reductæ, solis exceptis hominibus, religioni vero sibi duxit illas recipere, ne probro ipsi daretur alienis opibus esse locupletatum. Quid vero decimæ fuissent relatæ ad totam prædæ massam. An illi qui animo tam generoso spernit magnum thesaurum, arridere potuisset decima ejus pars? ut traderentur hæ decimæ regibus, non erat necessarium. Non exspectabant hoc, solliciti tantum de hominibus & sub-

ditis erant, & ipsæ hæ decimæ defumtæ fuisse potius videntur, ex opibus regum in fugam conjectorum ab Abrahamo, quas secum in castris habebant, in quas proinde regi Sodomæ & reliquis nullum jus competebat. Ex his spoliis etiam præcipue laborum præmia Aner & Escol fœderati Abrahami accepisse videntur. Annihilatas esse has decimas, quis credat? An non hoc summæ, quam suspicimus, sapientiæ Jesu Christi repugnaret, quas cum gratiarum actione & humili mentis devotione accipere potuissent homines ad quorum usum opes sunt creatæ. Sed concedamus in nihilum redacta esse, aurum, argentum, arma, aut per miraculum in abditis terræ visceribus esse recondita: Prostrata omnipotenti manu esse pecora, quid fiet cum servis & ancillis, maximam dubio procul decimarum partem constituentibus. An & hos innocentes misericordia seposita diræ neci tradidit? An propterea salvi evaserant truces hostium manus, ut per Abrahami victoriam ad aliud mortis vel supplicii genus raperentur? An non gloriosius ipsis fuisset mori, si fortiter in acie pugnando succubuissent, quam trucidari, quia ita ad demonstrandam insuperabilem potentiam voluissent filius Dei & spiritus S. An hoc modo munera ipsis animo sincero oblata recipiunt. Maximam partem hæc etiam ostendunt, Melchisedecum ad angelorum ordines minime pertinere. Extricet & expediat hæc qui filium Dei vel spiritum S. vel angelum pro Melchisedeco habet. Nullis vero per nostram sententiam septi sumus difficultatibus, plana sunt omnia, & intellectu facilia. Hæc hæctenus disputata a nobis, ut speramus sufficienter, & clarissime evincunt, Melchisedecum fuisse hominem verum, regem urbis Salemi, eo tempore non incognitum, ex posteris Noachi originem ducentem.

§. XXXVI.

Restat ut paucis adhuc usum hujus disquisitionis indicemus. Usus habet in Theologia Typica maximum. Observavimus jam adesse spiritus Sancti declarationem, Melchise-

21.

chisedecum typum propheticum esse Jesu Christi, facili negotio præeunte Paulo etiam analogias allegare possumus. Refert beatissimum nostrum servatorem 1 in nominibus 2 in officiis 3 in beneficiis 4 in magnitudine. 1) Quod attinet ad nomina vocatur *Melchisedecus rex Salemi*. *Melchisedec* autem docente Paulo *Hebr. VII. 2.* notat *regem Justitie*: Christus vocatur *Rex Pf. II. 6. Pf. XLV.* & quidem *Rex Justitie*, יהוה צדקו *Jehovah justitia nostra*, *Jer. XXIII. 6.* Secundum divinam naturam est ipsissima justitia, & auctor omnis justitiæ *Pf. XI. 7. Pf. XLVIII. 11.* Secundum humanam autem est *germen Justum Davidis* *Jer. XXIII. 5.* est is, *qui factus est nobis a Deo Justitia* *1 Cor. I. 30.* Urbs regia *Melchisedeci Salem*, denotat *pacem*, Christus quoque dicitur *rex pacis* שר-שלום *princeps pacis* *Jes. IX. 5.* qui pacem cælestem non tantum promittit, sed & dat longe alio modo quam quidem mundus *Joh. XIV. 27.* Quemadmodum *Melchisedecus* erat ἀγενεαλόγητος sine patre sine matre, ita & Christus est ἀπάτωρ sine patre, natus quippe e virgine *Jes. VII. 14. ἀμήτωρ* sine matre, quia est a Deo patre genitus *Pf. II, 7. ἀγενεαλόγητος* sine genealogia, est enim primogenitus omnis creaturæ *Col. I. 15.* unigenitus filius *Joh. I. 18.* quis generationem ejus enarrabit *Jes. LIII. 8.* cum anni ejus non finiantur *Pf. CII. 28. Apoc. I. 8. 11. Jes. XLI. 4.* 2) *Ratione officii* *Melchisedecus* componi potest cum Christo. *Melchisedecus* erat *Rex*, Christus talis est natus *Pf. II. 6. Joh. XVIII. 36.* erat *sacerdos*, Christus non solum vocatur *sacerdos* *Pf. CX. 4.* Sed ut talem se demonstravit implendo omnia sacerdotum munera. Obtulit enim se ipsum in sacrificium **שש**. Benedixit nobis benedictionibus cælestibus, & sanguine suo expiatorio sanctum sanctorum idest cælum est ingressus. Initium & finis sacerdotii *Melchisedeci* non notatur, Christi sacerdotium est æternum *Pf. CX. 4. Hebr. VII. 21. 24.* Non habuit successores, Christus quoque est sacerdos sine successore; *Melchisedecus* ut sacerdos certissime sacrificavit, Christus semet ipsum pro nobis tradidit oblationem

1
14
11
12

nem & victimam Deo Eph. V. 2. 3) *Ratione beneficiorum* Melchisedecus imaginem gerit Jesu Christi, ille attulit panem & vinum, ad reficienda corpora, Christus dat panem verum & vinum verum, ad famem & sitim spiritualem explemendam, ipse erat panis vitæ a patre traditus, *qui ad ipsum venit, nunquam esuriet, & qui credit in ipsum non sitiet unquam*, Joh. VI. 35. 4) *Ratione magnitudinis* denique comparatur Melchisedecus cum Christo, *spectate vero*, dicit Apostolus, *quantus hic fuerit, cui etiam decimas spoliiorum dedit Abrahamus patriarcha*, Hebr. VII. 4. monstrans illustrissimam & excellentissimam fuisse personam, Christus autem major omnibus est Eph. I. 21. 22. Philip. II. 9. 10. Pluribus has analogias recensuit doctiss. *Biermannus in Mose & Christo* L. I. c. 3. *Burmannus in comm. ad Gen. XIV.* & auctores, qui in enucleandis typis fuerunt occupati.


§. XXXVII.

Usum non spernendum habet in *Theologia polemica*. Subruitur enim per nostram explicationem, fictitium sacrificium typicum Missæ, & pulvinar non substernitur auctoritati papali. Præterea *historice* hanc materiam contemplantibus videmus utilitate eam quoque non carere, discimus enim inde, rejicere falsas, quæ de Melchisedeco circumferuntur, narrationes, quales sunt, quæ traduntur de parentibus ejus, de matre, de genealogia, de extraordinario modo, quo ab idololatria revocatus & a spiritu Sancto illuminatus est, de aliis ipsius factis, v. g. quod ad preces ejus terra os suum aperiens, omnes, qui in templo erant, ad fratrem ejus *Melchi* nominatum sacrificandum, & templum ipsum, imo etiam ipsam urbem cum incolis deglutiverit, quod nudus in sylvis septem annos erraverit, donec tandem Abrahamo occurreret &c. Patet præterea hinc, ecclesiam illo tempore nondum in Abrahami familia fuisse conclusam, sed adhuc integras urbes Deum altissimum coluisse, veluti illa, cujus rex erat Melchisedecus. In *Theologia practica* hoc argumen-
tum

rum præter varias virtutes, docet, quantum honorem Christo tanquam summo regi & sacerdoti debeamus, qui lytro suo animas nostras ab æterno exitio redemit. Hic non sufficiunt decimarum ex bonis defuntarum oblationes, sed nos ipsos vera fide, amore, & constantia ipsi consecrare debemus, ad perpetuam summo studio præstandam obedientiam.

Hæc sunt benevole lector, quæ tecum de dignissimo & utilissimo hoc argumento communicare volumus.

S. D. G.



T H E S E S.

Est DEUS.

I.

II.

Datur revelatio Divina.

III.

Pro qua agnoscimus libros veteris & Novi Testamenti, qui integri ad nos pervenerunt.

IV.

Dogmata fidei & præcepta morum in iis comprehensa homini ad salutem cognitu sunt necessaria.

V.

Dari S. S. Trinitatem pro explorato habemus.

VI.

Filius Dei est verus & æternus Deus coessentialis & coæternus patri.

VII.

Ab æterno, modo nobis incomprehensibili, genitus est a patre.

VIII.

Spiritus S. est persona divina, a patre filioque distincta, ab utroque procedens.

IX.

21.

2

1

1

14.

1

11.

12

IX.

Melchisedecus nec persona divina, nec angelus fuit, sed verus homo.

X.

Non elegit Deus omnes homines ad salutem sed tantum illos, quos Christo filio suo redimendos tradidit.

XI.

Præcessisse aliam creationem factam ante illam, quam Moses describit, negamus.

XII.

Angeli primo die sunt creati, sed diabolus non est creatus, neque mali angeli.

XIII.

Paradisus tertio die est conditus.

XIV.

Præadamitæ vivunt in mundo chimærico.

XV.

Dari fœdus operum defendimus.

XVI

Beneficia fœderis gratiæ vocatio, regeneratio, justificatio, adoptio, dispensantur solis fœderatis, minime autem promiscue omnibus hominibus.

XVII.

Ipsum fœdus gratiæ est immutabile & fœderati neque totaliter neque finaliter excidere possunt, quia per potentiam Dei ad salutem custodiuntur.


XVIII.

Limbus patrum, infantum, & purgatorium ignorat scriptura.

XIX.

Sacramenta N. T. sunt baptismus & S. Cœna & nulla alia.

NOBI.



21.

NOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
HVIUS DISPVTATIONIS AVCTORI

S. P. D.

P R Æ S E S.

Perpauci sunt menses, Doctissime SANDYK, ex quo re-
lictis *Belgii* fcederati scholis celeberrimis, *Hardeuicena*
& *Trajectina* ad nostras Musas accessisti, ut variam Tuam eru-
ditionem novis accessionibus locupletares, & Te, Tuos-
que profectus nobis commendares. Hunc in finem prodis
etiam in publicum erudito hoc specimine academico quo
Melchisedeci historiam ex certis antiquitatum fundamentis,
temporumque circumstantiis non superfuntorie illustras.
Gratulor Tibi ex animo has disciplinarum sanctiorum pri-
mitias pulcherrimas, largissimam olim messem spondentes,
& omnibus Te exhortor precibus ut quo ccepisti animo an-
nuente DEO constanter & indefesso studio pergas. Con-
junge cum sacrarum litterarum scientia amcenissima, non fu-
catam pietatem, & vitam Tuam virtutum Christianarum
glorioso exercitio perpetuo exorna. Virtus enim sola ad
quam nati sumus nos perficit, & ad hanc nos Theologia
quæ DEum habet auctorem ducere debet. De me autem
credas velim, nihil mihi antiquius futurum nihil prius, quam
ut, pro amore tenerrimo quo Te & omnes bene moratos au-
ditores, qui memoriam venerantur suorum doctorum com-
plector, Tuis studiis & profectibus, quavis occasione in-
serviam. Vale mi SANDYK, & Te amantem, ama.

G

Dura

14.
11.
12.

Dum citatarum rapidos aquarum
 Conspicor lapsus, hominum notare
 Commode vitam, fluidaque fortis
 Tempora possunt.

Nam vices debes dubias subire
 Atque mutatas variantis formas
 Sæpe fortunæ, nec inanis exit
 Hora tumultu.

Has ubi turbas superare corde
 Gestias firmo, modo disciplinis,
 Artibus, linguis, studiisque mœstam
 Erige mentem.

Hoc enim pacto facile malorum
 Quasque fatorum furias retundes;
 Sæva sint; visum, velut explicata
 Fronte, movebunt.

Gratior cœli rutilantis aura
 Si tibi spiret, sapientiori
 Sane, quæ gaudes, animo pacata
 Gaudia carpes.

His quod intenso studeas labore,
 Multa jam testis vigilata nox est,
 Et rei, foetus satis eruditus,
 Pignus habetur.


Unde votorum fit, amice! summa:
 Vive jucunda vegetus juventa!
 Floridos annos operum prolixo
 Syrmate transi.

*Hæc in sui memoriam & amicitia conti-
 nuationem adjicere voluit*

J. W. HENCKE, MED. CAND.

Quæ tenebris quondam divina volumina crassis
 Invisaque velut prefferunt nocte, pagani
 Fata stupenda viri, qui fortia moenia magnæ
 Incoluit Solymæ; tua nunc industria fecit,
 Omnibus ut puram nullave caligine mixtam
 Insinuent lucem: nec enim protrita priorum,

Qui



) 51 (



Qui, pietate licet celebri multaue repleti
 Doctrina fuerint, nullum tamen indere sensum
 Historia poterant sacræ, dictata tueris;
 Sed, majore tumens ausu, quæ justa requirit
 Totius ratio nexus, cum divite pulchri
 Luxurie stabilis sermonis. Judice plausum
 Invidia tuus ille labor laudemque meretur,
 Perge politorum matres ostendere faustas
 Conatus operum, *Vir docte*, tuumque per omnes
 Doctorum nomen coctus librosque propaga.

*Hicce Amico & contubernali suo applau-
 dere ex animo voluit*

H. L. NEOMAGVS, THEOL. CVLT.

* * *
 Quos artis almæ cepit amor vigil,
 Quos finxit olim mellea Castalis,
 Illos futuris erudita
 Temporibus monumenta dicunt.

His cedat atrox Martis adorea,
 Inventa moesto sanguine civium!
 Illos triumphis incruentis
 Laus reperit meliorque palma.

Lectum dedisti pectoris enthei
Vir docte! mundo jam specimen Tace,
 Quæ, Musa! laudes litterato
 Huic operi merito sacrentur.

Sic perge fausto fidere! Te canent,
 Si phœbus unquam lumine riserit
 Nobis benigno, sique vena
 Pura fluat, graviora plectra.

*Hicce auctoris elegantissime docti amicitia
 se commendabat.*

J. C. F. BAVMANN, THEOL. CVLT.
 Opponens Ordinarius.

* * *
 Früh schon fängest Du an, mein Freund, Deine Augenblicke
 Zum gesegneten Bau des neu errichteten Salems
 Und zum blühenden Wohl der Kirchen erfreut zu verschwenden.
 Was den wackern Begriff der größten Gelehrten geübt hat;

Was

Was ein geziemender Vorwurf des unaufhörlichen Zanks war;
 Was der heiligen Schrift die möglichste Deutlichkeit henbringt;
 Dis erörtert Dein Fleiß. Belesen und reich an Urtheil
 Ist Dein mühsames Werk. Mit unnachahmbarer Klarheit
 Machst Du die trefflichsten Stellen der göttlichen Bücher uns deutlich.
 Lebe demnach, mein geachteter Freund, und setze getrost Dich
 An den geweihten Ort, wo mit unerschrockenem Gesichte
 Dein bewährter Verstand die Wahrheit mit Anstand vertheidigt!
 Wann mein prophetisches Hoffen das unausbleibliche Ziel trifft,
 So verkündigst Du einst, mit rascher Beredsamkeit donnernd,
 Auf einem höhern Stuhl die gründlich gefassten Lehren.

Diese Zeilen sind Zeugen der aufrichtigen Gesinnung, welche gegen den Herrn Verfasser heget Desselben verbundenster Diener

P. C. ENGELS, Th. & Phil. Sarc. Cult.
 Opponens Ordinarius.


* * *


Quin varios præstent jocularia scripta, vel usus,
 Vel lusus genio deliciante suos;
 Quis dubitare, bono si gustu polleat, aufit?
 Quum vitam soleant ædificare malam.
 Interea, qui sacra semel monumenta revolvit
 Thesauros reperit, cognitionis ibi.
 Ille severa leget, latante volumina sensu,
 In quibus æternis eruderatur iter
 Siderium lineis, divinaque mentibus instant
 Gaudia, sed stimulo gaudia facta pio.
 His ubi Tu studiis molimina cuncta sacrare,
 Igniculoque calens nobiliore, viam
 Discere cælestem studio conaris & arte,
 Tanta, velut fas est, gratulor ausa Tibi.
 Vive diu, quem totus amo, felicibus utere fatis,
 Limatosque magis, des, o amice! libros.


*Hicce amico & contrubernali suo faustorum
 laborum apprecari successum voluit*


L. DRVSCHEL, THEOL. CVLT.




















⊗ (25) ⊗ ⊗

& eundem ei honorem ac reliquis libris
 Quam diu tria hæc evicta non sunt pro li-
 modo est habendus.

§. III.

te probabiles non desunt rationes, hunc li-
 brorum humanorum referendum esse sua-
 Argumentum libri de quo supra diximus,
 is est libro divino. Revelatio enim bella
 neque res solum humano consilio gestas,
 icium est monere, quomodo Diabolus, il-
 ndi, & concupiscentia prava debeant ex-
 lari. Arma enim militiæ nostræ non sunt
 primarium est, debet ducere ad Redempto-
 tore vero in hoc libro nihil legebatur, alias
 ipsum, liber per providam Dei curam con-
 quemadmodum reliqui qui de Messia quæ-
 el indirecte, monent sunt custoditi. Legimus
 bris veteris Testamenti, historias bellorum,
 tu vaticidico acti, illa nonnunquam delinea-
 rebantur. Ast non solas res bellicas tractant
 gumentum est Messias, salus & justitia pec-
 s fufe persequuntur, sed obiter tantum non
 ne illas tangunt, ut tanto melius de rei veri-
 ecclesia ad gratum animum pro liberatio-
 onstrandum excitaretur; ut ad constantiam,
 tiam & pietatem provocaretur contra im-
 & fata adversa: ut de cura Dei gratiosa er-
 tia ejus erga impios convinceretur, ut intel-
 tum variorum vaticiniorum & qui alii sunt
 ia Judaica, cui oracula domini concredita
 n sensit de hoc libro, quemadmodum testi-
 obis adducta testantur. Si autem liber di-
 vium optime prisca hæc ecclesia hoc scire
 ex Prophetarum antiquorum testimoniis,
 intrinsecis libri, divinitatem ejus manife-
 stan-

D

stan-

